



Kern 228(1-33)

38.

DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA  
DE  
**MORBO ARTICVLARI**  
SPECIATIM  
**VENEREO**  
PRAESERTIM DE ARTHRITICA QVADAM  
FELICITER SANATA  
\*\*\*\*\*  
QVAM  
*GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS*  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
AVCTORITATE  
PRO RITE CONSEQUENDA  
**DOCTORIS MEDICINAE DIGNITATE**  
PUBLICAE DISQUISITIONI  
SUBMITTIT  
AVCTOR  
IOANNES LUDOVICVS DAVIDES  
**H E R Z O G**  
GOSLARIENSIS.

---

A· R· S· CIO ICCCCCLXVIII. D· XX. SEPTEMBRIS.

---

HELMSTADII  
EX TYPOGRAPHO ACADEMICO VIDVÆ  
SCHNORRIÆ

*K. Hofme*

EVAGELIUM APOSTOLI

152

EVAGELIUM APOSTOLI



PERILLVSTRIBVS  
AC GENEROSISSIMIS  
VIRIS  
REGIO - ELECTORALIS ET DVCALIS  
BRUNOVICO - LVNEBURGICI COLLEGII  
QVOD REM METALLICAM CVRAT  
DIRECTORIBVS AC VICE-DIRECTORIBVS

*PATRONIS SVIS SANCTE OBSERVANDIS*



HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM

PIA MENTE

D' D

AVCTOR

IOANNES LUDOVICVS DAVIDES HERZOG

# VIRI PERILLVSTRES

Cogitanti mihi atque animo pen-  
sitanti, quibus maxime nomini-  
bus praeponendis opellae huic  
academicae, quam edo, vel parare prae-  
fidum, vel gratiam conciliare queam,  
vix

vix alia mihi occurrunt, quam VESTRA, VIRI PERILLVSTRES, nomina, quibus inscriptum et dedicatum hoc, quidquid est, operis malim. Iam pridem enim ea in VOBIS veneror et illustria doctrinae virtutumque ornamenta, et eximia in rem ciuilem et litterariam merita, ut summopere cupiam, quam adhuc animo et conscientia continui, pietatem publico aliquo testari documento. Soletis, quae haud postrema laudum VESTRARVM pars est, bonarum artium studia et omnem doctrinam liberalem VESTRO ornare et tueri fauore; quod mihi magnam fiduciam iniicit, ut sperem, nec inprobatum iri, quod VOBIS offero, tenue munusculum, et qualemcumque hoc doctrinae experimentum non nullam a VOBIS gratiam initurum. Praecipue vero ad officium VOBIS exhibendum me hortatur propensa VESTRA erga Parentem meum vo-

lun.

Iuntas, quam multis documentis, variis-  
que in eum collatis beneficiis constare  
voluistis. His quasi signum aliquod mihi  
sublatum esse video, vt nihil antiquius ha-  
bere debeam, quam mea VOBIS appro-  
bare studia, et praestitam Parenti meo be-  
nevolentiam omni officio retinere

Et quidem paterno exemplo excitatus  
iis ipsis me addixi studiis, atque iis in rebus  
adhuc operam collocaui, quibus VOS, VI-  
RI PERILLVSTRES, pro eminentium  
munerum ratione, singularem curam adhi-  
bere, praesidiumque VESTRVM praestare so-  
letis. Iamque confecto studiorum cursu a-  
cademico id ago, vt futuris me muniberibus  
parem, et, quam doctrinae facultatem com-  
parare per ingenii mei tenuitatem licuit, ad  
ciuium meorum usus conferam. Cui con-  
silio nec successus defuturos esse spero, si  
qua-

qualescumque conatus meos non displicere  
VOBIS, et iudicio, fauore, patrocinio VE-  
STRO subleuari ornarique sentiam. Quare,  
quod reliquum est, VOBIS, VIRI PER-  
ILLVSTRES, opusculum hoc, quod pro  
adipiscendis in Medicina honoribus publice  
defendendum scripsi, qua par est, animi  
reuerentia dico, meque ipsum simul in cli-  
entelam VESTRAM trado, Deum immorta-  
lem precatus, vt VOS quam diutissime sal-  
uos, atque omnibus, quae mortalis condi-  
cio recipit, bonis cumulatos ad seram aeta-  
tem praestet, et curis laboribusque V E S-  
TRIS, pro bono rei publicae susceptis, pro-  
speros successus et sincerae felicitatis prae-  
mia largiatur. Dabam in Academia Iulia  
Carolina d. xx. Sept. cccccc LXVIII.



D E

## DISPV TATIONIS ARGVMENTO

G E N E R A T I M.



§. I.

Q VAERENTI mihi et meditanti de  
materia disputationis meae sollem-  
nis praecipue *morbus articularis*  
occurrit, quem Graeci *αρθρίδα*  
nominant, morbus multo frequen-  
tissimus. Contigit mihi, ut Bero-  
lini pridem multitudinem hoc morbo confectorum  
viderem, et institutis summorum medicorum abun-  
darem, quibus et caussas eius morbi scitius digno-  
scere,

A



scere, et pro caussarum diuersitate suam cuique  
artuum dolori medendi rationem accommodare di-  
dici. Accidit deinde, vt femina quaedam auxilium  
peteret, annos duo amplius articulorum doloribus  
misere vexata, varios experta medicos, a plurimis  
tandem desperata. Hanc ego quum exciperem,  
institutis ductus Berolinensium caussam nullam ali-  
am esse intellexi, quam veneream, quae vtique re-  
mediis non expugnari passa est antea adhibitis.  
Suppeditata autem alia medicina aduersus venere-  
um vitium propria, articulorum dolores modo vix  
consolabiles eieci, atque femina adeo feliciter con-  
valuit. Liceat mihi, quum iam Academicorum  
more specimen dandum palam sit, casum cum,  
qui mihi obtigit et in primis arridet, nimirum de  
femina articulorum doloribus male adfecta recte-  
que sanata, publice recensere, atque quae mihi qui-  
dem de grauissimo illo ac pertinaci morbo, qua fe-  
mina correpta fuit, generatim dicenda videntur,  
insuper exponere.

## §. II.

FREQVENTISSIMAM *aegreritatem*, vehemen-  
tissimamque morbi huius vim esse, et a tantum non  
omnibus insanabilem plerumque, vel qui curatio-  
nem aegre saltem admittat, censi, haec qui ne-  
sciat fore arbitror neminem. Sed quid mirum, a-  
crem

crem et difficillimum sanatu duci morbum, cuius cauſa non aperte cernitur, ſaepius ignoratur, plerumque ex praecipiti iudicio falſiſſima cauſa pro vera habetur? Quot articulorum dolorum fontes? Quot formae? Vnde tot artuum morbi ſpecies, ſua cuique ſpeciei natura, cauſae, ſymptomata, vereque eam eradicandi remedia. Quid ad leuandos articulorum dolores medicamenta, qui ex venere orti ſunt, vel cataplaſma refrigerans, ſi artuum dolor ex malo mercurialium vſu? Quid ad curatiōnem medicamentum temperans vel diſcutiens, ſi cauſa venerea fuerit? Evidem Berolini obſeruaui, huius morbi ſcaturiginem ut plurimum ex praua venere fuifſe, vbi ab aliis alia morbi ſedes venditabatur; immo obſeruaui, opinione citius curatos eſſe atque famos redditos aegrotos; medicamentorum vſu, quae in lue venerea dari ſolent.

### §. III.

NON dubito, quin ea cauſa propter ea medicū ſaepe fugiat, quod aegrotos ſuos arguere eius vix ſuſpicioſe liceat, ipſe vero aegrotans ſtudio diſſimulet, haud opportunō celans pudore, quae morbum non genuiſſe arbitratur. Quo pačto medicus male eluſus ſcientia alioqui praefantiffiſmus medicinam praebere poterit minus aptam. Eſet omnino, quod, etſi ſint vera, *Φιλοσοφηνεα*

A 2

tamen



tamen non admodum minuta videantur, quae iam persequor, nisi communis fere usus eadem illa testaretur. Atque idem ipse nuper expertus sum de arthritica, mirum quantum omnibus extorta membris fractaque, cuius mentionem ad praesens facere adgredior.

#### §. IV.

FEMINA quaedam annos nata plus minus XXXV., natura sanguineo-cholerica, partibus alterius extremitatis inferioris, quam longa haec est, distortissimis, retro annis, quod quidem senserit, morbum experta nullum. Biennium amplius fuit, ex quo articulorum vitio pedibus non valuit, acerrimis cruciatibus spasticis grauiter diuulsa, qui quidem a pollice laeui pedis ad feminis coxam subinde pergebant, interdum etiam in alias corporis partes vagantes, sub nocte vehementius ingrauescentes, iterum iterumque per aliquot dies remissi, interiecto vero spatio redeentes cum temperatae febris vicissitudine. In affectis corporis partibus tumor ac rubor et hic atque illic nodi cernebantur. Praeter ea in capite varii tumores accesserunt, quos dolores subsequuti diri osteocopi. Nulla insuper cibi appetentia, nullus saepe somnus, inquietus perpetua, corpus mirum in modum emaceratum et plane tabescens.

#### §. V.

## §. V.

SED corpusculum feminae ceteroquin haud perpestitum acerbissimisque articulorum tormentis excarnificatum non simplici fortuna conflictabatur: verum vndeque ea fere pressa, exhausta et fracta. Quippe cui nescio quo pacto attenuatae res adeo angusta domi, ut ab omni prope fortuna derelicta ipsa se vix tolerare posse videretur. Id quod non solum contra commoda curationis stetit, sed et obstat, quo minus medicamentis *efficacioribus*, quae sumtuosa erant, in pristinam restitui sanitatem posset. Inclinatis rebus omnibus victus, quem parare vix suppetebat, aridus fuit, parcus, medelae parum conducens. Quum per morbi indicia, tum per hanc feminae condicionem ariolari licuit, quod me non fecellit; vitium tandem latere venereum femina, etsi aegre, ingenue tamen confessa est. Quo pacto ex sententia prospere mihi curatio cessit, ut aegra adhibitis medicamentis aduersus hoc malum propriis tandem e morbi crudelitate emerserit integra. Id quod antea vero pudore tenebat, praesertim ferre feminam, se pudice primum quidem, parce ac duriter vitam egisse, ex quo fatum se demerserit; at ita, ut ingenium omnium hominum a labore proclive est ad libidinem, post, quam amans accessit, premium pollicens unus et item alter, accepisse se condicionem, deinde quaestum accepisse, ludificari se passam ac vitiari.

A 3

§. VI.

## §. VI.

**A**BHINC tres annos maximo se terrore perculsam menstruas ait fluxiones amisisse, quas actatis anno duodeuicesimo primum senserit, neque vero ex hoc tempore fluxionem suggestam esse vnumquam. Quod autem vitium venereum maxime testabatur, ulcera fuerant, quibus pudenda scatuerunt ante, quam graui articulorum morbo affecta est femina. Haec vero, quod comperi, peruersa ratione sanata non ita multo post dolores exceperunt articulorum asperrimi.

## §. VII.

**E**x mémoratis luculenter apparet, dolores, quos femina perpessa est, spasticos fuisse, ex vitio venereo male curato subortos; aegrotantem vero articulari morbo confectionam. Hoc enim signa produnt singula, idemque istud efficientia remediorum, quae adhibita sunt, euidenter confirmat. Id quod vberius praeter ea atque enodatius patescit, si symptomata, quae obseruaui, cum peculiari articularis morbi natura, quae scilicet ex venereo vitio proficiuntur, subtilius comparata fuerint, et si meam medendi rationem ordine recensuero. Explanare hoc argumentum adgredior, enucleando

**SECTIONE I. ARTICVLAREM VENERVM  
MORBVM GENERATIM.**

SECT.

SECT. II. AEGROTANTIS MEMORATAE CV-  
RATIONEM SPECIATIM.

III. MERCVRII VIM, EFFECTRICEM SANA-  
TIONIS IN ARTHRITICA VENEREA,  
QVATENVS QVVM EX NATVRA  
SVA, TVM PRAECIPVIS NONNVL-  
LIS OBSERVATIONIBVS LVCIDI-  
VS DEMONSTRARI POSSE VIDE-  
TVR.



## SECTIO I.

DE

MORBO ARTICVLARI GENERATIM  
SPECIATIMQVE  
VENEREO.

### §. VIII.

**S**i in articulo humani corporis 1.) membro quidem *extrinsecus non laeso*, aut vulnerato, 2.) initio tacitus oboritur *dolor*, mox acerbus euadens, punctum caesimque feriens distendensque, perinde ac si aperire cutem et egredi formicæ vel vermina molirentur, 3.) *media nocte* vehementior; ex quo non ita multo post 4.) *tumor* subinde subsequitur, cum 5.) *rubore* quopiam, ideoque 6.) *calore* extraordinario conspicuus; si dolor ille paucorum die-  
rum



rum spatio interiecto 7.) cum *ardore* offensae partis  
 modo discedere modo accedere, atque adeo 8.) qua-  
 si *certum* quemquam *circuitum* accipere videatur;  
 id quod 9.) agram *partem minus mobilem* reddat ac  
 ligamenta *rigidet*; 10.) *pulsus* vero non naturaliter  
 ordinatus, sed ictus non nihil incitatos, quales fere  
 in febre obseruabiles sunt, prodat, immo vero breui  
 post tempore ingrauescente articuli dolore spastico  
 11.) *febris* commotiones notabiliter euadant, quas  
 12.) *inquieris* excipit, 13.) etiam *nocturna*; atque dolor  
 14.) vel *plures* simul adficiat articulorum iuncturas,  
 15.) vel in *vna* tantum parte *persistat*, vbi non num-  
 quam accedit, vt 16.) *nodi* concreti cernantur cre-  
 tae similes; 17.) *virina* initio pallida, tenuis, *a-  
 quoſa*; adhaec aeger, 18.) quem *pandiculari* faepi-  
 us videmus, 19.) *nullo* in carne, *in musculis* doloris  
 sensu angatur, *neque* vero ceterum, si 20.) ab *an-  
 xietate* aliqua, itemque 21.) *lassitudine* et *torpore* so-  
 lito grauiori discessero, 22.) *malle ipsi* sit; quae si  
 ita *vna* fuerint, *articulari morbo* laborare aegrotans  
 dicitur, eoque nulla alia consociato infirma valetu-  
 dine.

### §. VIII.

**FACILI** negotio ex dictis *Qawouevois* in-  
 telligens quisque efficiet, *nocturnam morbi* huius  
*excandescientiam* criterium eiusdem haud peculiare,  
 vel quod alii valetudinis grauitati non *aeque* con-  
 tingat

tingat, esse. Aér enim sub noctem diurno quum solito frigidior, atque magis adeo humidus euadat; cutis paullatim constringitur, certe meatus cuticulares non tantum patent, quantum si cum calidiore iterum commutatur frigidus aér, minusque idonei deducendae minutatim vel per sudorem emitte ndae inuisae et detritae corpori materiae exsistunt. Ex humoribus vero, qui expeditiores exitus non inueniunt, continenter adfluentibus materia morbi crebra incrementa capit, eiusque indoles cum symptomatibus accessiones. Suppressa transpiratio quantum malorum arthriticis inferat, indicium docet accessionis morbi, quum in pedibus, in manibus cet. siccitas animaduertitur in homine, cuius partes alias exhalare sudorem solebant. Mutata nocte aëris temperies respirationem quoque mutat: ubi ore haustus aér, quo frigidor est, eo validius in vesiculis pulmonum calore corporis naturali expanditur, et crassitudine sua ac grauitate potiori vascula premit; unde haec humoribus aduectis transitum quodam modo negent, sanguis vero retardatus admista aëria materia crassa et humida liquores reddat spissiores necesse est. Has sanguinis in pulmonibus remoras *anxiетatem* non posse non parere facile intelligitur. Quid enim **ANXIETAS**, nisi sensus impedimenti sanguinis per pulmones deuehendi? Neque tamen

B

ab

ab his solis anxietas oboritur arthriticorum, verum augetur tantum nocturna. Spasmi frequentissimi acerbissimique in turgido membro vasa constringunt, redditum sanguinis impediunt; quo facto συσολης και διασολης vicissitudo variatur, sanguis a superioribus partibus accelerat, motu solito maiori calidior, cui a dextro cordis ventriculo in pulmones reduci iam ab aëria materia refrigerando haustus ordinario modo oris spiritus tam subito non par est. Hinc impedimenta sanguinis per pulmones commode deuehendi, quorum sensus est anxietas.

### §. X.

Ex dolore vero vehementi de nocte mirum quantum increscente *inquietem*, praecipue *nocturnam*, esse facile intelligitur. *Neruorum imbecillitas* in corpore, quod ceteroqui non nisi sanum est, §. VIII. num. 22.) vel a sanguinis abundantia, vel a neruorum motibus admodum spasticis, vel ab utrisque ortum trahit. In morbo autem articulari, vbi dolores sentiuntur, ex descriptione *signi* 2.) spastici maximi, quorum sensu aegroti corpus insigniter agitatur, infirmitas neruorum quum ex agitatione, quam naturaliter consequitur, tum a causa dolorum, quae tumorem creare, febrem excitare, articulos rigidare, non numquam nodos producere valet, cet. proficisci poterit. Sed *lassitudo*,

*do, torpor, pandiculatio*, idemque *urinæ* indicia  
haud signa valetudini artuum propria vel idiopathica  
sunt, verum aliis etiam morbis communia  
quam plurimis.

§. XI.

AT vero spastici dolores, et quae hos proxi-  
me subsequuntur, *tumor ac calor* in offenso mem-  
bro, *ardor* et *febris* signa sunt naturalia, demon-  
strativa, articulari morbo propria. Sed quaenam  
est dolores, quales §. VIII. descripti sunt, efficiens  
causa? Quum corpus *extrinsecus non laesum* neque  
vulneratum sit, principium doloris in ipso corpo-  
re, vel in solidis partibus, vel in fluidis, vel in v-  
trisque quidem, lateat necesse est Scrutanti origi-  
nem morbi sedes mali memorabilis esto. Sed hanc  
neque musculi vlli in carnis partibus, §. VIII. num.  
19.) neque vlla alia corporis pars, nisi articuli refe-  
runt. Quum itaque non musculi, quicumque sunt,  
dolect, immotumor ac rubor cum calore extraor-  
dinario saepiusque ardore cernantur, dolor iste  
non sensus est spasmorum in musculo ex varie cras-  
sa ac glutinosa lympha seu *ζευματισμος*: quum de-  
inde febris motus proxime sequantur, neque in a-  
liis, quam articulationis partibus sese exserat mor-  
bus; neque iste sensus est tensionis membranarum,  
quae intus extraque circa ossa sunt, seu non est *ve-*

B 2

*nereus*



*nereus artuum dolor*: verum in ligamentis ille articulorum sedet, aut in membratura mobili, διαρθρωσι, hinc in iunctura acetabuli, ἐναρθρωσι, vel in ex. gr. scapulae iunctura, αρθρωδια, vel in iunctura tractatoria, ex. gr. cubiti, in γυγγλυμῳ et angulari et laterali et orbiculari, τροχοειδει, vel in anomala ex. gr. ossium carpi, αμφιαρθρωσι; aut in commissura haud mobili, συναρθρωσι, et in sutura, et in harmonia, et cunei forma, in γομφωσι, vt in doloribus dentium maxillarum alveolis per γομφωσι innexis, in ὀδονταγᾳ. Verum enim vero non numquam reliqua etiam, quae suam ossibus sedem conciliant, συμφυσεις, adficit, quum ossificationis, vti vocantur, tum articulationis; deprehenditurque in cartilagine, in συγχονδρωσι, ex. gr. in γλωσσαγᾳ, vbi bicorne os patitur; vel proprie in ligamentis, in συνδεσμωσι, vel etiam in musculis, συστρεψωσι, vel in tendinum συντεσμωσι, tandemque in membranarum συνυμενσι; generatim in naturaliter concreta ossium coniunctione, seu in ARTICVLIS, ossiumque συνθεσι. In ligamentis vero istis fibrae elasticae sunt, neruofae, quibus natura sensum dedit, et carpum formantes et tarsum, eaque membranae περιχονδρῳ, tendinibus eorumque

que vaginulis, *αποευρωσεσι*, glandulisque liquorem articulis fuggerentibus modice crassum, coniunctae; praeter ea ibi ora ossium, organorum subtilissima vasa sanguifera itemque lymphatica. Aut itaque in ossibus vel in adiacentibus solidis partibus haereat, oportet, quod dolorem inurit, aut in fluidis, glandularum in primis ab HAVER-  
SIO nominatarum. " Hae glandulae vnguinofsum  
" secernunt humorem, qui oleo medullari com-  
" mixtus articulos laeuigat, lubricatque, ad faci-  
" lem motum aptos reddit, et aduersus ardorem  
" et ariditatem ex attritu orituram, defendit.  
" Tunica comprehendens glandulas sub ligamentis  
" haeret, et laxa est et quam plurimis vasculis pi-  
" eta conspicitur. Hae partes, quum neruis sen-  
" tientibus instruetae sint, dolent, si tam solida,  
" quam fluida, illuc confluentia, affecta sunt,  
" et humores partim copia sua, partim peruersa  
" indole particulisque peregrinis solidas fibras pre-  
" munt, irritant, pungunt, atque ad spasmos fol-  
" licitant. Qua ratione HIPPOCRATES iam di-  
" xit, in libro de loc. in hom. sectione XIV: *mucus*  
" siue *humidum articulorum natuum ubi male ha-  
" bet, male habent articuli; ubi vero purum est, seu  
" bene habet, et ipsi articuli sani sunt. " \**

## B 3

## §. XII.

\*) KOERBER de arthritide, p. 5.



## §. XII.

IN fluidis autem istis lympha primaria, et quae a medicis obseruata maxime est, acrimonia. Ductus humorum enim pituitosorum quacumque ratione labefactati si forte retineant repente intus liquorem, mox acres humores fuggerunt, qui multa corporis acrimonia ceteroquin adauerti lympham facile coagulant, et materiam morbi praebent. Quibus positis caufsa morbi proxima lympha in glandulis articuli coagulata, hinc serum varie crassum, glutinosum, terreis particulis grauidum, acre, falsuginosum, exedendi vim habens insignem, circa articulos impeditum. Quae quidem materia vasa vicina comprimit, manantem sanguinem retardat, neruulos iuncturae vellicat, quorum sensus *dolor artuum est*, qui eo magis adfliget, quo vehementior acrimonia, quo fusior eius in articulo abundantia. Fac ita esse, consequetur inde, non Rhenanum modo vinum, quod, uti experimentis constat, lympham coagulare facillime potest, verum generatim id omne morbo articulari materiam large fuggerere, quod acoris multum habet, in humeribus corporis, per quos pedetentim transit, in de- pascens vel falsuginosum demum serum degenerantis.

## §. XIII.

**M**INIME tamen *acrimonia* ea purum acidum esse

esse poterit, quippe quod humoribus hominis non ineſt. Acrimonia ea reliquos arthriticae materiae proprietates superat omnes, quem ad modum SYDENHAMVS obſeruauit. \* Perquam auſterum vero hoc acidum esse HAVERVS primum demonstrauit. Aperte autem idem acidi arthriticorum fudores indicant, ructus vomitusque acidi, alii durtia, cet. Praeter ea non experimentis ſolum conſtat, ſerum iſtud tartari ſalem ſapere, ſed tartaro ſcatere viſus etiam comprobare videtur. Vinorum enim tartaro abundantium valde bibaces, plurimi in hunc morbum delabuntur. Ea vero, de qua §. XII. dixi, *exedendi vis* experimentis lucide comprobatur. Etenim humor, ſi quis veficatoria, ut diſcunt, arte ex arthritico exſugatur, depaſcendi ro-dendique vim adhuc exſerit.

### §. XIII.

ALCALI tandem quodpiam arthriticae ma-teriae inesse multa experientia demonſtrauit quon-dam IO. COLBATCH, medicus Londinenſis, qui hac de re contra TVTHILLVM etiam ſubtiliter di-ſputat, ab quo experimenta a COLBATCHIO inſtituta vapulabant. Mifcuit ille ſero arthritici ſo-lutionem ſirupi violarum. Quo factō caeruleus co-lo-rum non cum rubro, ſed cum viridi commutari co-e-pit.

\*) Tractat. de podagra, arthritice ſpecie, p. 559.



pit. Accedunt alia eiusdem auctoris argumenta, quae quum ex natura nodorum arthritici, qui plurimo alcali scatent, tum ex chemica experientia promsit, cuius ope inuenit, abundantiam alcali in arthritici sanguine ad alcali in fani hominis sanguine rationem habere, vt 3: 2.\* Adhaec inuisus corpori sal alcali volatilis ex contagio colligitur, vt pote quo variae articulare morbi species contactu hinc atque illinc longe vagantur. Ex. gr. in podagra; de quo exemplum in commentariis perillustris van SWIETEN relatum legimus \*\* Id quod non KAAV\*\*\* solum, et BOYLE, † quos laudat perill. van SWIETEN, sed ante hos iam BLANCARDVS ‡ confirmant. Canis podagra laboranti ad pedes dormit. Aeger doloribus maximis cruciatus atque modo adeo lamentatus, vt mori praeoptaret, quam diutius ferre dolores, mox vacuitatem doloris ex improuiso nactus canem videt in gyros versum, valde latrantem, gementem eiulantemque vehementer. Ipse a podagra liber; canem vero morbus inuaserat.

### §. XV.

\*) Acta Erudit. anni 1710 CLXXXVIII. p. 525 - 528.

\*\*) Tomo III. p. 298.

\*\*\*) De Perspirat. dicta Hippocrat. p. 216, 217.

†) De Vtil. Phil. experim. p. 291.

‡) In Collect. medic. Cent. VII. Obs. 56.

## §. XV.

**ACRIMONIA** quidem itemque alcali in sano quoque corpore est: at primum non tanta copia, quanta in arthritico. Deinde acria illa in minutissimis corporis ramulis exitum facile inueniunt, et transpirationis auxilio **S A N C T O R I I** diligentia cognitae corpore expelluntur. Porro si forte quantitas eorum nimis increuerit, id quod ex acrum ciborum vsu frequentiori contingere potest, eximio naturae beneficio sitis perurit, saepius adhortans, ut expleatur. Optime vero ea sitis multa aquosa potionе fatiatur; qua hausta acre abluitur, et per solitas vias eiicitur. Atque haec cauſam docent, quare vrina arthriticorum pallida, tenuis, aquosa, §. VIII. num. 17., cernatur. Colligitur nempe hinc, acrimoniam multam adhuc in corpore haerere, quae non fecernitur: namque si flava vrina vel rubra, plurimum noxiae illius et asperae materiae decedit. Tota denique sanguinis indoles in arthritico tali acrimonia infecto ab ea diuersa maxime est, quae in sano corpore exsiftit. Constat enim, eductum venis arthritici sanguinem admodum tenacem esse, in superficie crustam chylosam habere satis crassam, quae cruorem obscuriores instar solidae tunicae tegit, tum **Φλογισμόν**, cruorem tamen, seu rubrae sanguinis materiae copiam, solito minorem, sero abundante, eoque abundante largius, quo magis in-

C

uete-



veteratus est morbus; quid? quod viride serum et  
subfalsum, pars rubra nigricans deprehenditur.

### §. XVI.

**V**LTERIVS progreendiendum disquirendumque  
est, qua ratione gigni talis tantaque acrimonia in  
corpore possit. Quidquid in corpore humano vel  
succi vel liquoris est, id omne a sanguine manat et  
ab ingestis, a quibus sanguis alitur. Sed ut satis  
elaboretur perficiaturque sanguis, et corpus nutri-  
menta accipiat salutaria, tria requiruntur. *Primum*  
salubrium ciborum usus; *deinde* iusta in corpore  
*concoctio*; inoffensus *denique* chyli inde facti per  
totum corpus fluxus, ut in singulas partes deuehi  
nutritius succus possit, et vndeque bene distribui.  
In hoc, isto atque illo vitium latere potest, quod se-  
cernendis praesertim tenuissimis humoribus obest.  
Tenuissima vero non satis elaborata fluida minutissi-  
ma vasa aegre transmittunt. Quo maius, quo diutur-  
nius in corpore vitium est, eo plura fluida degene-  
rant, hic illic accumulantur, et dum impedito  
transitu longius retardantur, redduntur acria, mi-  
nus mobilia, quae tandem ad hunc vel illum locum  
delata morbum pariunt. Commodo AEGINETA:  
"Quando enim altrix facultas labefactata fuerit (ἢ  
,, θερπιμη δυναμις ἀτονηση) ob ciborum copi-  
am

) Libro III. de re medica, cap. 78.

„ am, ex qua cruditates contingunt, humor ab-  
 „ undans in quamcumque articulationem, quae  
 „ antea debilior fuerat, se conferet, et distendens  
 „ colligantes neruos, dolorem faciet. „ Debili-  
 tatis in corpore iustae concoctionis viribus, liquo-  
 res corporis adeo corrupti, radicalis feminis pro-  
 liferi materiae, vt BOERHAVIVS ait, hinc se in-  
 nectunt clanculum, vt malum hoc artuum integri-  
 tati inimicissimum etiam, id quod vſus docet, here-  
 ditarium euadat.

### §. XVII.

QVIBVS expositis ne esse quidem videatur,  
 quod in disquirenda refutandaque eorum sententia  
 magnopere verter, quibus in solidis partibus, iisque  
 solis, fons articularis morbi esse posse forte vide-  
 retur. Refellendae sententiae ei vnicum argumen-  
 tum sufficiet. Fac amputari membrum dolens; si  
 in solidis lateat cauſa, nonne sublata cauſa effe-  
 ctum tolli oportet? Dolores itaque artum cessa-  
 bunt? In membro abſciffo quidem: at vero ge-  
 neratim minime. Breui post tempore aliud vexabunt  
 membrum, et faustum felixque! si vexant. Nam-  
 que vſu iam exploratissimum, arthriticum dolens  
 membrum casu amisisse, id quod HELMONTIVS\*  
 refert, morbus nihilo fecius remansit, mox de-

C 2

nuo

\* In Cap. Volupe viuentium morbus, p. 313-315.



nuo membrum occupans. Haud itaque solidis ine-  
rit partibus scaturigo morbi, quamuis solidae inde  
rigiditatem adipiscantur, quae vasa arctiora red-  
dit, vnde malum omnino ingrauescat necesse est,  
quum transitus lymphae ceteroquin ex acrimonia  
coagulatae, ceterisque humoribus praesepatus sit.  
Si vero non in solidis caussa fuerit; certe in flui-  
dis.

### §. XVIII.

**I**TAQVE idiopathica, et quae symptomata  
sunt in articulari morbo, distinctius internosci pos-  
sunt. Quum enim proprietas **IDIOPATHICA**  
ipsam morbi naturam atque essentiam, **SYMPHO-**  
**MATA** vero ea, quae ex essentia morbi consequen-  
tia sunt, complectantur, caussa artuum doloris §.  
xi., seu materia, quae §. xii.-xvi. descripta est,  
dum nerois articuli offendit, proprietas articularis  
morbi idiopathica est. Cetera singula, quae de  
hoc morbo vsu obseruantur, §. viii. percensà, me-  
ra symptomata sunt.

### §. XVIII.

**A**TQVE hac ratione definitio articularis mor-  
bi clarius illucescit, quae multifariam fieri potest.  
Definitio enim vel a caussa proxima sumitur, vel  
ab essentia morbi, vel ab adiunctis. Singula ista  
definitionum genera naturam morbi explanare pos-  
sunt,

sunt rectissime, quem ad modum ex logica doctrina cognitum. Diuersa autem iuxta se posita praecipuam conciliabunt claritatem. Definiri itaque **ARTICULARIS MORBUS** potest, quod sit spasmus in vicinis articuli partibus, quae non sunt *συμφυσεως* musculi, a materia exedente §. XII. descripta ortus. Vel ita: *articularis morbus* est sensus materiae circumiectas articuli partes exedentis. Seu est morbus, qui singula ea criteria habet, quae §. VIII. percensa sunt. Itemque: est dolens admodum aegritudo circa iuncturas articuli ex acrimonia, de qua §. XII-XVI. dictum est, seu ex coagulata lympha, oriunda.

**VICINAE** articuli partes sunt, ut supra §. XI. iam dictum est, *περιοσες* ora, *περιχονδρας*, ligamenta, tendines tendinumque vaginulae, *αποενδοτης*, glandulae, quae *mucoris* glutinosi, modice crassier, ut *CERVUS* dicit, mulsi fabricae sunt, in quibus singulis nervi, qui expandi patiuntur, horumque organorum subtilissima sanguifera vasa, itemque lymphatica.

### §. XX.

**CONSIDERANDA** itaque secundum definitionem praecipue sunt

I. humores in arthritico impuri,  
quatenus caussa morbi sunt.

C 3

II. Ar-



**II. Articuli partes offensae, vbi resi-  
det noxious humor maxime.**

**III. Spasmi inde oriundi.**


**§. XXI.**

DE humorum vitio iam dictum quidem satis  
esse existimo §. XII-XVI. Austeria illa acrimonia,  
quae in tenerrimis vasorum ramulis in membro,  
quod deinde tumidum fit et turgidum atque ex ea  
caussa vitiose se habet, ex liquore naturali propter  
impeditum eius transgressum secernitur, efficienti-  
am suam primam in lympham exferet, quippe quam  
ea acrimonia, certe in membro eo, coagulabit.  
Coagulata vero lympha, quam natura expellere e  
corpore tendit, ea omnia efficere valet, quae de  
articularis morbi symptomatibus memorantur. Mo-  
dum, quo materia ea vitiosa inferri in corpus pos-  
sit, supra generatim indicaui, §. XVI. Tantum  
autem abest, vt persuaderi mihi patiar, acrimoni-  
am eam vitiosam per totum fere corpus in omnibus  
ac singulis arthriticis tantam esse, quanta circa ar-  
ticulum quemquam accumulatur, vt existimem con-  
tra, ipsum hoc acidum non nisi in vasis articulo  
proximis ex liquore ibi stagnante, ex labefactatis  
humorum ductibus gigni posse, immo vero gene-  
rari saepius, nec ex corpore illinc delabi, verum  
exin

exinde in alias corporis partes abire posse. Sed fac ita esse, vt in hoc solo membro exsistat exedens acidum, sequitur inde, vt, si amputetur membrum, quod causam morbi complectitur, et morbus absit. Discernendum itaque est, vtrum materia per totum corpus distributa sit, §. xvii., nec ne, §. xxi?

### §. XXII.

**I**N PRIMIS vero de modis, quibus supra §. xvi. dixi nasci posse acrimoniam arthritici, ille memorabilis est, si, ob debiles viscerum sanguinem satis elaborandi perficiendique vires, segregandae naturaliter a chylo ac sanguine inutiles praesertimque crudiores chyli partes cum sanguinis in orbem motu ad vaseula minima artuum deferuntur, ibique subsistunt et molestiam creant. Id quod etiam in ipsa articuli cuiuspiam sede, imbecillitate nervorum, itemque quum lymphae, tum sanguinis et περιοσες aliisque vasis accidere potest, quorum papillae extremae minimae, dum non perspirare vltierius liquida conglobata valent, retinent, vbi ea facile rigescere, in coagulum abire, asperitatem nancisci, atque nervos adeo infestare possunt. Praecipuum hoc in plethoricis, in quorum constitutione magnae medicorum parti prima artuum doloris origo latere videtur. Materiam talem vero, quam sanguis testatur venis emissus §. XV., quae quasi



quasi caseosa est, vasa eo magis obstruere, tandemque in nodos excrescere cretae similes quidmirum?

Quae extrinsecus in vitium extuberat materia, per se adeo cruda exsistit, ut ad scribendum in tabula vti illa possimus. **TEICHMEIERVS**\* refert, se studiosum, iuuenem ab articulari morbo liberauisse, per cuius vrinam incredibilis eius materiae quantitas excreta sit, quae in matella vitrea octo dierum interuallo crastam digiti auricularis crassitudine reliquit; qua exsiccata tamquam creta in tabula scribi potuit. Idem etiam **BOERHAVIUS**\*\* obtinuit, quum materiam exciperet e vertebris arthritici exsudantem.

### §. XXIII.

**MEMBRVM**, in quo sedes morbi, articuli sunt §. xi. et xx., quorum varii situs et condicione§. xi. nominatim sunt descripta. Offa, tendines, nervi, ligamenta, nodi, capsulae articulares cet., ea sunt, in quibus attentio versari debet. Etiamsi vero in interstitiis atque inuisibilibus ossium foraminiibus sub exitum morbi μελινηα latitare possit, et in ossium processibus tophi reperiantur: offa tamen per se sensu carent, ideoque nec doloris receptacula; neque fibrae ossium spasmodorum capaces, quorum sensus articularis morbi essentia est.

### §. XXIII.

\*) De arthritide §. XVII.

\*\*) Parte V. Praxeos. Lond. 1731. p. 197. Itemque Thesis XVI: tumor tandem rumpitur et creta exit e minimis.

## §. XXIII.

**ΠΕΡΙΟΣΤΕΟΣ**, et si in contactu cartilaginis articuli vtrimeque desinat, a περιχονδρᾳ tamen excipitur, inuisibili prope cartilaginum membranula, ab H A V E R O \* elegantissime depicta. Omnium subtilissima eius textura aequa atque περισσος magna mutitudine filamentorum, venularum, arteriarum, praesertim autem nervulorum circumfusae sunt, in quibus si rigescat subtilissimus liquor, articulum immobilem reddit: ceteroqui causa ibi propter nervos admodum irritabiles dolorum maxima. — Articulationis ligamenta in iis partibus longe copiosissima exstant, quae valde in hoc morbo doloribus ardent. Ex gr. in ossibus carpi et ταξ μετακορπις, ταξ et in cylindraceis ταξ μεταταξ οσι ossibus, praecipue vero in internodiis digitorum pedis. In quibus notatu dignissima bina ligamenta sunt, in medio ossis femoris et ossis tibiae, praesertim in superiori eius superficie posita, subitus περιχονδρᾳ obducta, quae maximum olim anatomiae ornamentum, primus Anatomiae Professor et Archiater Caroli V., VESALIUS \*\* cum primis praecclare ostendit. Quem ad modum etiam de ceteris articulationis ligamentis locuples et praetan-

D

stan-

\*) In Osteol. noua, p. 328.

\*\*) In corporis humani fabrica, Libr. I. p. 166. et 168.



stantissimus auctor existit, Petropolitanus ille Professor IOSIAS WEITBRECHT \*, itemque qui ei par est, WALTHERVS. \*\*

### §. XXV.

P A T E T itaque cauſſā vehementiae dicti morbi multo atrocissimae in situ et multitudine posita ligamentorum circa articulos, itemque in textura τά περιχορδέis et περιοσεs †, vtpote vtraque membrana maxime neruosa. Sed si quis cum recentiorum Celso, IO. FERNELIO \*\*\* cauſſam vterius disquirit, quam ob rem grauifffimo iſto morbo articuli praecipue laborent, facile cauſſam in eo inueniet, quod articuli vasis pleni minutissimis, quae accedentes humores solito ſpiſſiores §. XII. eo minus admittent, ex impulſis autem turgescent; conglobatus humor diutius detentus intestino motu particulas oleofas subinde amittet, ſalia nimis agitatuntur, ſingulae eius partes ſoluentur, rurſus cum paucis oleofis, terreis atque aquofis conglutinantes; qua quidem diſſoluerent aequa coniungente motu intestino fermentant, atque acidum producunt articulos

\* ) In Syndesmologia.

\*\*) De articulis, ligamentis, et musculis. — Et qui conferri cum hoc meretur, Mr. WINSLOW, Exposition anatomique de la ſtructure du corps humain; Tom. I. Traité des os frais, p. 259.

†) Hinc τά περιγόνωνς etiam, et periorbitae, vti hiulce dicunt.

\*) In Pathol. Libr. VI. c. 18.

Ios adficiens. Prima vero huius sedes *ἀπονευρω-*  
*σεις* esse videntur. Sub hoc vocabulo non tendi-  
num latae chordas, neque membranam, qualis est  
in flexura cubiti a musculo bicipiti enata, quae eo  
nomine insignitur, verum terminum, quicumque  
est, intelligo, ubi tendines ossibus inseruntur. Iam  
vero nerulos ibi circumiectos ex rigente ibi mate-  
ria spasmis originem praebere largissimam, qui ne-  
get fore arbitror neminem.

## §. XXVI.

TVM vaginulae tendinum\* occurrunt §. xviii.,  
quas excellentissimus in anatomicis scrutator, insi-  
gnis VESALII et aemulus et aduersarius, BARTH.  
EVSTACHIVS \*\* maxime demonstrauit. Membra-  
nacei isti tubuli tendinem suum quisque tamquam  
vagina gladium recondunt, in flexoribus atque ex-  
tensoribus pedis admodum conspicui. Hos pinguis  
praecipue humor ex elaborantibus glandulis conti-  
nenter defluens lubricat, quae ideo articulorum glan-  
dulae audiunt, quarum incredibilis copia, quam  
rubicundarum in cauo articuli, tum a pinguedine  
absconditarum, quarum vero maxima pars in ten-  
dinum ac ligamentorum superficie, in ossium arti-  
culorum membranis et muscularum intersticiis  
distributa est, quae ne microscopii quidem ope fin-

D 2 gulae

\*.) Περιδετιοι.

\*\*) In Tabulis anatomicis.



gulae sub adspectum veniunt. Ad mucum istum, quem summo naturae beneficio secernunt glandulae, synouia refertur, serum maximam partem albumen referens, quod ab acido adfuso illico coagulatur et in spissam massam commutatur. Ecce cauслam summe probabilem, cur lympha, quae in iis glandulis, quarum inuentionem **H A V E R S I O \*** vulgo tribuunt, a sanguine secernitur, ab acido coagulata, cauſa primaria et propria doloris artuum recte dicatur. Atque ex his simul ratio elucet, quod mulsum serum istud, quod articuli iuncturis continenter adfundunt glandulae, si coaguletur, seiunctis subinde particulis aquosis in spissam massam conuertatur, quae ad cretae vel calcis naturam proxime accedit, et in cute tophos parit.

### §. XXVII.

IN primariis articularis morbi momentis §. xx. spasmi sunt. Vel lympha, §. xii et xx. vel serum ex glandulis lubricum §. xxvi. ab acido coagulatum,

\***S E D** falso, et si diligentia **H A V E R S I I** eas nobis cognitas potissimum reddiderit. Ante **H A V E R S I V M** enim dudum a **C A R O L O S T E P H A N O** Lutetiae olim Anatomico detectae fuerant; Libr. I. de diff. part. corp. hum. c. 28. itemque a **I A C. S Y L V I O**, primo illo et vero valuularum in venis inuentore, in *Ifag. anatom. L. I., a V E S A L I O in Fabrica corporis hum. L. I. p. 168.* atque **A N D R E. L A V R E N T I O** in *Hifor. anatom. L. VI. c. 5.* iam iam laudatae,

latum, et alcalescens, §. XIII. continuo recentis sanguinis aliorumque liquorum adfluxu, quippe qui natura non interrupta pergit, ampliatum, vasa distendit, quo facto partes vasorum, fibrae, praeter naturam extenduntur; et nerui socii, tum paralleli, tum qui earum quasi *artaywisi*<sup>1)</sup> sunt, constringuntur. "Ea autem fibra contrahitur, in quam dato tempore plus liquidi neruosi aduenit, siue id a voluntate fiat, siue a caussa in cerebro nata, siue a stimuli potentia in neruo ipso." \* Fibra ita adfecta breuior redditur, partesque eius cohaerentes coguntur in propriorem mutui contactus cohaesionem, immo ad immediatam fere praesentiam, vt interualla prope omnia euaneant, id est CONSTRINGITVR: constricta musculum adducit, musculus tendinem cet. Pars mobilior accedit ad firmiores, mobilis ad immobilem, cet. Distensio vero nerui et alias socii constrictio ex machinae animantis natura se se non possunt non excipere, neque arbitrium ad aliter eas determinandas valet. Namque nullus fibrae motus a fibra ea sola conficitur, sed adiunctas ac copulatas singulas considerari oportet, quae alterutri fibrae eius parti ingeneratae sunt. Inordinata ea fibrae constrictio, quae non in potestate est animantis, SPAS-

MVS

D 3

\* Per illustr. HALLERI primae lineae Physiol. §. CCCXII.



MVS dicitur. Nervorum fibra si qua constringitur, socia alia, qui est fibrarum in corpore nexus, expandatur oportet. Ergo alia alias partes, quas quasi vertebrae cohaerentes ob similitudinem, quam cum his habent, dicere ausim, vel ad cohaesionem cogit propiorem, vel dimouet naturaliter confidentes, ut vertebra mouens socias sibi cohaerentes se sequi cogat. Sic ex spasmo fibra breuior cernitur, crassior, turgida, non numquam in rugas contracta. Repugnatio vero, (*resistentia*) sociae ob superpondium virium mouentis oppido euanescit: at, quia fibrae, quae nervini liquoris efficiencia est, vim instar elastici corporis habent, tam ea, quae constringendo comprimitur, quam altera, quae diducitur, propria vi sua repercutere conantur, quin tensionis causa remota vtraque repercutit, et in eamdem formam redigitur, quae ipsi ante erat, quam adficeretur. Hic repercutiendi actus attractione conficitur. Nam quum in fibra pars cum parte cohaereat, et quasi vertebrae iuncturis flexibilis sit, ita, ut vertebra altera alteri implicata sit; alia aliam distentam ad se trahit. Atque ex hac quidem causa perillustri **HALLERO** \* motus muscularis omnis in retractione fibrarum in se ipsas, ita positus esse videatur, ut fibra alterne magis contractae minusque, aliquam partem sursum re-  
ceptae

\* I B I D . § . C C C V I I .

„ ceptae longitudinis latitudini interualli duas  
„ rum contractionum addat.”

### §. XXVIII.

SED hinc consequitur, continens partium cohaesio quo arctior exsistit, eo minus partes flecti et tendi possunt. Eiusmodi minor partium fibrae tensio reddit SPASMOS MINORES. Sed quo arctius cohaerent partes, eo potius implicatae, eo plures existunt caussae attractionis: ergo eo vehementius remota tensionis caussa repercutietur fibra. Maior repercutiendi vehementia FORTIORES efficit SPASMOS. Hinc quo minor est spasmus, eo fortior exsistit. E contrario, quo rarior est partium inter se cohaesio, eo maior est flexibilitas. Maior fibrae flexibilitas MAIORIS SPASMI capax est. Sed in hac caussae attractionis minores; ergo vis repercutiendi minor, SPASMVS DEBILIOR.

### §. XXIX.

QVONIAM autem lubrica fibrarum mollitudo in animante elasticam efficacitatem haud admittit, etiamsi palam sit, vasorum et ipsas neruorum tunicas insignem habere elasticam vim; sequitur, ut cum HALLERO caussam primam et quasi attractionis somitem forte in neruini liquoris et influxu et directione positam esse existimemus. Ceterum allata

### §. XXIX.

§. xxviii. spasmodorum differentia in diuersis animantis fibris distincte cernitur. In ἀποευρωσεσι §. xxv., vbi fibrae proxime innexae, attractionis causae proximae; hinc spasmi, etsi minores, quam in carnis fibra, tamen fortiores exsistunt, §. xxviii. Exemplo item sunt graciles illae fibrae, quae in fine muscularum degenerant, in tractu vltiori rigescentes, et amissio rubore splendore argenteo conspicuae, quae tandem in tendines exeunt, vix irritabiles, nulloque fere sensu, itaque ad spasmos edendos difficillime habiles. Atque in περισεω, neque vero dubito, quin in περιχονδρω etiam, aequae ac ligamentis \* spasmi, quamvis minores, vehementissimi tamen, ob planitatem membranarum summe tensam: cui praesertim in ligamentis accedit, quod neruorum fibrillae nudae in longitudinem porriguntur, admodumque explana-  
tae ac deuinctae sunt, neque cavitates tantae coniunctis musculis intermissae, quantae in car-  
nosa corporis parte conspiciuntur. Praeter  
ea in pede, itemque in manibus, osse femoris cet.  
maxima neruorum copia, et qui est vni-  
uersalis neruorum animantis nexus, spasmi  
celerius ibi sociis partibus impertiri, cum illis-  
que communicari possunt. Quo facto, interru-  
pta regnantium in corpore motuum aequabilita-  
te,

\* ) SYDENHAMVS de podagra p. 547.

te, dissentanea spasmi motio per plurimos neros propagatur, et vniuersum corpus, singulis partibus plus minus participantibus, patitur.

### §. XXX.

MAXIMI vero spasmodorum effectus ex irritabilitate nascuntur. Irritari autem partes non nisi elasticae possunt seu tonicae. TONVS vero est vis elastica corporis extensi. Atqui re vera IRRITANTVR partes, si in illis motus excitatur tremulus. EXCITATIO est actus, per quem motus efficitur solito maior: MOTVS TREMULVS mihi est celerrima mutuae partium corporis tonicarum arcte cohaerentium dilatationis et constrictiois vicissitudo. Quo maior est in membro fibrarum tonicarum multitudo, eo facilius pars illa irritari potest: quo pauciores illae sunt, eo difficilius irritabitur. Quo arctius compressae sunt tonicae fibrae, eo difficilior, grauior, vehementior irritabilitas: quo laxius coarctatae, eo facilior irritabilitas, debilior, non ita nullo post euanscens. " Haec irritabilis natura a cellulositate omnino abest, in membranis, vt a cellulositate natis *debilis*, in ligamentis, tendinibusque *difficillima* reperitur, muscularis, vero, cordique et intestinis in primis maxima insidet, vt et diutius a morte naturam irritabilem, quam aliae corporis partes conseruent, et vehementi-

E



„ mentiorem exerceant, et facilius fuscitari possint.” \* Oriundi ex irritatione in animante motus diuersae indolis contingunt. Vel enim illi in inoffensa natura cum agnatis sibi sentientibus neruis *aequabiles* sunt seu ii, qui non subito ab alienis interrumpuntur; hos *SVAVES* nominamus. Vel impeditae naturae regnantes motus sunt, quos **ACERBOS** appellamus. Irritationis ictum fibrae nerueae recipiunt, in cute quidem appulsi et frictione papillae adfectae, in interioribus partibus tunica, qua neruus quisque circumdatus est. Motus nerui inde ortus cum ipsius fluidi sui et sibi cognatorum motu ad eam cerebri sedem, in qua funiculi ex cerebri arteriis oriuntur, ad sensorium commune celeritate plane incomprehensibili defertur, vbi anima ictum recipit, exceptum percipit, et si neruorum tonus sat magnus exstiterit, eumdem *appercipit*, et, quantum ad hanc apperceptionem attendit, **SENTIRE** dicitur. Sensus vehementer acerbae irritationis **DOLOR** est.


### §. XXXI.

**ACERBITA** sea, itemque irritatio cum utriusque sensu, pro temperaturae corporis diuersitate maxime diuersae cernuntur. In *cholerico* vasa arteriora, soliditas maior, cellulosa tela densior, musculi praearliis robustiores, tonus fibrarum insignis,

natu-

\* Per illustr. **HALLERI** primae lineae Physiol. §. cccviii.

natura neruosior, cruoris copia largior, naturalis actionum celeritas; hinc irritabilitas facilis, fortior, vehemens, efficacior, durans. In *melancholico* vasa latiora, rigidiora, soliditas grandis, tarditas naturalis: irritabilitas itaque minor, difficilior, grauior, et si vehemens orta est, durans quam diutissime. In *phlegmatico* vasa angustiora, laxiora, tenuia, numerosiora, tarditas naturalis, fibrae musculares minus arctae, debiliores, copiosius in sanguine serum, crux minor, fluida minus liquida, mucosa, viscida, glutinosa, aquosa, natura obesior, pinguior, et in sensibus externis singularis, praecipue vero in gustu, odoratu et tactu sensibilior: hinc irritabilitas facillima, debilis, copiosissima, non diurna. In *sanguineo* vasa lata, tenuia, fibrae moliores, natura sanguinea, ab aëris et coeli temperie valde mutabilis, fluida magis volatilia, alacritas naturalis, crux satis, συστάης και διασολής, vicissitudo varia, fibrae magnitoni capaces. Itaque irritatio facilis, fortis, vehemens, non ita multo post euanescens. In *phlegmatico* suauitas atque acerbitas facillimae, debiles, longe lateque copiosissimae. In *sanguineo* faciles, grauiores, vehementiores, non ita multo post euanescentes. In *cholerico* faciles, fortissimae, efficaciores, diurniores, In *melancholico* difficiliores, fortes, durantes quam diutissime.



## §. XXXII.

**S P A S M O R V M** vero excitatio a variis cauſis fieri potest, quarum vſu exploratas et frequentiſſimas iam in transcurſu commemorauiſſe liceat. Sunt vero illae ſubiectae. I. In corpore *A.* ratione *ſolidorum* I. *fiffus*. Hinc ex vulnere, ex laefis intus visceribus ſpasmi frequentes. 2. Generatim *compreffio* atque extenſio partium nimia et frequens. Atque intelligitur inde, quare homines, qui oneribus ferendis humeros exercent, morbos ſaepius experiantur eos, qui a ſpasmis ortum trahunt. 3. Quod *orificia vasorum*, in primis minutiflmos cuticulares exitus *anguftiores* reddit, sudorem impedit c̄et., ſpasmos et morbos inde oriundos quam plu- mlos parere folet. Ex hac enim cauſa qui cespiti- bus effodiendis vičtum in Batauia quaerunt, quum per diem pedes madidos habeant, et vſperi do- dum reduces dum ad focum ſedent, pedes ſubare- ſcere ſinunt, in pedibus vasorum inde rigiditatem, ex rigiditate angustiam, ex vtrisque articulairis morbi ſpasmos ſibi adſciscunt. 4. Qui chemica ar- te ab *arsenici vaporibus* anhelitu ſaepius grauantur, vel in argenteis et aureis fodinis operantur, ſpas- mos quam maxime obnoxii. Vnde morbus ille cru- ciatum, quicumque ſunt, vehementiſſimorum ve- hementior, quem *ſaturninum* vocant, die Hütten- katze. Idem in illis locis, vbi aēr ordinarius cras- fior,

fior, insigni salium copia, saturnino metallorum vi-  
ro, sulphureis particulis cet. infectus. Scientia ea,  
quam nostra sola aetas, eaque prima vedit, splen-  
dida ea in re publica litteraria victoria, saeculi no-  
strri gloria, qualis sunt *b. sūs MILCHII* tabulae  
cum aequalibus suis apud Anglos, hae condocent, in  
Transyluania praesertim articularem morbum *εὐδη-*  
*μιον* esse, in eo puta tractu, in quo fodinae salis  
gemmae maxime sunt. Londini, vbi aēr valde ma-  
rinus et ob sulphureas fossilia carbonum nebulas  
admodum nociuus existit, vt aedes ipsas corrodat,  
et argentum ac vasa argento circumclusa nigritudi-  
ne, ferrum rubigine contaminet, valetudinis ex-  
spasmis grauitas prae aliis regionibus tum frequen-  
tissima tum maxima. Idem fere apud Batauos vsu  
venit.

### §. XXXIII.

SOLIDORVM etiam debilitas 5. ex *immo-*  
*derata* *veneris libidine*, in primis eorum, qui vna Ve-  
neri et Baccho litant. Itali sobrii a venere, Ger-  
mani a vino *ποδαγρώσι*, BOERHAVIUS ait, et 10.  
DOLAEVS *Waldschmidio* suo scribit: "Bacchus  
,, in tubulos a Venere euacuatos deponit acria vi-  
,, ni recrementa." Rarus cōcubitus corpus excitat,  
,, CELSVS \* inquit, frequens soluit. Cauendum,  
,, ne in secunda valetudine aduersae praesidia con-

E 3

„suman-

\* Libr. I, c. 1.



„sumantur.” Arthritici plerumque propter acres  
in sanguine particulas ad venerem stimulantur. I-  
tem” podagrī magis pruriunt in venerem, dum  
accessus in procinētu est:” perilluстр. van Swieten.  
At vero neruinus liquor, nutritius corporis succus et  
*σπερμα* sanitati corporis adeo necessaria, vt ab-  
sorpto humore horum, quicumque est, corpus lan-  
gueat, naturales excretiones impedianter, morbo-  
rum materia suboriatur. Perilluстрis van SWITEN  
\*) plurimos vidit, qui quum a prima pubertate ni-  
mia venere vires exhaustire cooperant, ante trigesim-  
um aetatis annum iam miserrime miseri arthritici  
facti sunt, neque pedibus neque manibus valentes.  
Tum 6. morbi, quicumque est, *excandescētia* caussa  
esse poterit, ex. gr. *aipοqγayias.* 7. Vsu item co-  
gnitum, feminas pre viris et grauius et saepius in  
spasmodorum morbos incidere; quamuis HIPPOCRA-  
TES \*\* feminas aequae ac viros articulari morbo,  
praecipue podagra, laborare neget, et eam ob causam  
praeterito saeculo a magna medicorum catena  
vehementer vapulauerit. Sed hī non didicerant, non  
eamdem nostra aetate feminis esse vitae rationem,  
quae

\*) In Comment. super Aphorism. BOERHAVII Tom. IIII. p. 296.

Cum quibus conferri merentur damna, quae ex debilitata vi  
corporis, quam *concoctricem* Vir perilluстрis scite nominat,  
in totum corpus redundant. Tom. II. p. 46.

\*\*) Sect. VI. Aphor. 29.

quae fuit **HIPPOCRATIS** aevo. **SENECA** \* maximus ille, inquit, medicorum et huius scientiae conditor feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atque hae iam et capillis destituntur et pedibus aegrae sunt. Non mutata feminarum natura, sed vita est. Nam quum virorum licentiam aequauerint, corporum quoque virilium vitia aequauerunt. — Quid ergo mirandum est, maximum medicorum ac naturae peritissimum in mendacio prehendi, quum tot femi-

\* Epistola LXXXV, quam longa est, leolu dignissima: in primis si de delicato et lautissimo saeculi sui genio ita differit. Medicina quandam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluxus sanguinis, vulnera coirent paullatim: deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietaem. Nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, et facili cibo nec per artem vomitatemque corrupto. Qui post, quam coepit non ad tollendam, sed ad irritandam famem quaeri, et inuentas sunt mille conditurae, quibus auditas excitaretur; quae desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et neruorum vino madentium tremor, et miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies. Inde incertit labantium pedes, et semper qualis in ipsa ebritate titubatio. Inde in totam cutem humor admissus distentus que venter, dum male adsiuecit plus capere, quam poterat. Inde suffusio luridae bilis et decolor vultus, tabesque in se putrescentium, et retorti digiti articulis obrigescitibus, nervorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitatis vertigines di-

,,cam



„ feminae podagrcae caluaeque sint? Beneficium  
 „ sexus sui vitiis perdiderunt: et quia feminam ex-  
 „ uerunt, damnatae sunt morbis virilibus.”

### §. XXXXIII.

MAIORES spasmi 8. ex *senectute* funt, vi-  
 ta male ante acta, praecipue in arthriticis. Prae-  
 clare BAGLIVIUS: \*\* ” *Aegrotic*s prae caeteris  
 „ inuadit senes, qui post, quam melioris vitae an-  
 nos

„ cam? quid oculorum auriumque tormenta, et cerebri  
 „ aestuantis verminations, et omnia, per quae exonera-  
 „ mur, internis ulceribus adfecta? Innumerabilia praeter  
 „ ea febrium genera, aliarumque inpetu saeuientium, alia-  
 „ rum tenui peste repentium, aliarum cum horrore et mul-  
 „ ta meinbrorum quassatione venientium? Quid alias refe-  
 „ ram innumerabiles morbos, supplicia luxuriae? Immu-  
 „ nes erant ab ipsis malis, qui nondum se deliciis foluerant,  
 „ qui sibi imperabant, sibi ministrabant, corpora opere ac  
 „ vero labore durabant, aut cursu desatigati, aut venatu,  
 „ aut tellure versata. Excipiebat illos cibus, qui nisi esuri-  
 „ entibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam  
 „ magna medicorum impellestile, nec tot ferramentis atque  
 „ pyxidibus. Simplex erat ex simplici causa valetudo: mul-  
 „ tos morbos multa fercula fecerunt. — Innumerabiles  
 „ esse morbos miraris? Coquos numera. — Dii boni, quan-  
 „ tum hominum unus venter exercet! — Quomodo cuncta  
 „ in ebris nostris perplexa sunt, sic ex ipsis non singulares  
 „ morbi nascuntur, sed inexplicabiles, diuersi, multiformes;  
 „ aduersus quos et medicina armare se coepit multis generi-  
 „ bus, multis obseruationibus.”

\*\*) In Operib. p. 168.

„ nos mollius et delicatus transegerint, otio, cra-  
„ pulis, veneri, vino aliisque spirituosis liquoris  
„ bus vltterius indulserint, vitam otiosam degunt.  
„ Hinc secundum **HIPPONCRATEM**, *Libr. II. Prae-*  
„ *dicit.* vix sanantur, et a morbo liberantur. „ In  
primis vero maxima illa ex spasmis valetudo, quam  
sapientum morbum **MORTON** nominat, a nimia  
neruorum *cistrovia* proficiscitur. Quem ad mo-  
dum eadem illa aliorum etiam spasmorum origo  
exsistit. Ex. gr. de Scythis **HIPPONCRATES** \* re-  
fert, illos ex perpetua equitatione articulorum dol-  
loribus frequentissime perturbari. Itaque fatigatio  
ac debilitas ex saltatione, gladiatorio certamine  
cet. vitales spiritus adeo saepe dissipant, articulos-  
que fluidis priuant, vt spasmi cum febribus saepe  
\*\*) subsequantur acerrimi. Idem in illis, qui quie-  
tem non fatis capiunt, debiti somni defectus effici-  
unt, vnde glutinis et neuini liquoris resinciendi pa-  
rum, laxatio nimia. Ex lucubratione non semel  
in spasmos inciderunt litterarum studiosi. Peril-  
lustr. van SWIETEN \*\*\* narrat: magnum Mathe-  
maticum noctu, quum de difficultiori problemate  
enodando meditaretur, nec opinato podagra cor-

F reptum

<sup>\*)</sup> Libro de aquis, aëre et locis.

<sup>\*)</sup> Perillustr. van SWIETEN in Comment. super Aphorismis  
HERM. BOERHAAVII. Tom. II. §. 586.

<sup>\*\*\*</sup>) *Ibid.* Tom. III. p. 305.



reptum esse, quae etsi ceteroquin hereditaria in illo, certum tamen suum circuitum habuit: at de improviso tunc Mathematicum adfecit.

### §. XXXV.

*B. (confer. §. xxxii.) RATIONE fluidorum, I. abundantia eorum, dum in motu est, spasmos efficit. 1. Orgasmus, vti dicunt, et congestiones humorum, quorum effectus in cholericis maiores sunt, §. xxxi., caussa spasmi. Cuius ira quoque effectrix est, quae eam ob rem obstetrix spasmorum a medicis vocatur. Quo plures in corpore spasmi, eo maior irritabilitas §. xxx. et xxviii. Itaque arthritici quum grauiter dolent, iracundi potius quam irati existunt, quorum morosum ardorem acrimonia ceteroquin alit, quae in ipsa quoque perturbatione emolumenta capit, quoniam sal temperans volatile corpore sensim expellitur. Huc in primis aestus nimius atque vehemens frigus pertinent. Ille subtilissima quaeque per sudorem eiicit, lympham spissat, fibras distendit, spasmis materialm praebet. Hic exitus vasorum constringit, eiiciendis exitum occludit, quae deinde humores viant, vasa rigidant, naturam impediunt, multosque hinc spasmos excitant. 2. Sanguinis abundantia generatim caussa spasmorum: quam ob rem in sanguinea temperatura morbi ex illis frequentiores, item-*

itemque in iis, qui aetatem sedentariam degunt, ex defectu excretionum naturalium plerumque πληθωριοις. Latenter enim longis meditationibus contrahitur spasinorum morbus quisque. Lappones, qui simplici vietu contenti litterarum studia ignorant, morbos etiam, qui spasinis vehementissimis in articularis morbi morem excruciant, quid? quod ipsa nomina eorum, ignorant. \* II. *Defectus etiam* humorum caussa esse potest; naturales excretiones impeditae, hinc αιφορραγια inhibitae, sudor repressus, menses retenti. Restituta horum fluxio dolores illico mitigat, immo vero morbum saepe sanare valet.

### §. XXXVI.

III. TANDEM *prava* quaeque *humorum indoles*; 1. humores *rigentes*, praeципue qui renes obstructos reddunt, vnde spasmi maximi. Namque eadem νεφετιδι etiam, quae articulari morbo fomitem praebet, caussa est. Ne itaque excandescat dolens artuum vitium, caute medicus arthriticum cibis prohibendum curabit, qui chylum sugerunt varie crassum, facile coagulantem, vt carnibus multis. Nam liquores ex illis exsorpti glutinosi, facillime circa articulos stagnantes, spasmosque ibi grauiores exci-

F 2

tan-

\* Per illustr. LINNÆI Flora Lappon. p. 157.



tantes, quo pluribus acribus particulis ceteroqui pleni sunt. Atqui hoc vſu cognitum, arthriticos, qui carne ſe abſtinent, praeſertim fumo indurata vel aromatibus condita, itemque lardo, oppido dolores mitigatos expertos eſſe. Praeter ea pin- guia arthriticis non admodum ſalutaria, quia chy- mum in ventriculo concoctu diſſiciliorem relinquunt. Immo vero braſſicam, naſturtium, erucam et alli- um ALEXANDER TRALLIANVS, \* primus ille limaturaे Martis in medicamentis inuentor, BOER- HAAVIVS \*\* vero asparagum arthriticis conduce- negant. Idquod etiam cauſa eſſe videtur, quare ſtrenuus agrorum cultor, cui dapes nullae, nulla opipara obſonía ſunt, arthritici ſpasmiſ numquam corripiatur: quum contra ea, qui ſaliarem quotidie in modum viuunt, itemque otioſi et luxuriae indul- gentes aegre plerumque a pedibus vel a manibus vel vtrisque cet. ſint. 2. Generatim KAKO- XYMIA omnis, acida, pituitoſa, bilioſa, ſalsa cet. ſpasmiſ anſam praebet. Itaque iam *κανοχυμω* nihil magis nocet, quam acidorum vſus nimius. Exor- tus vero inde ſpasmorū morbus valide ſale vola- tili alcalino ſedabitur. Febres continuae acutae malignae, itemque febris intermitte-  
ſioꝝ,

\*) Libr. XI. c. I.



\*\*) Aphorif. §. 1258.

ea, male curatae spasmos et articulorum morbum plerumque relinquunt, cuius nimirum ope austera salia, fomes febrium, ad articulos demum deuoluuntur. De vino a medicis, in primis a strenuis Bachi cultoribus in vtramque partem disputatum est. Vnu vero explanatum satis, vina multo tartaro scalentia, ex vnis redundantia, quas pinguis ager vel argillosa terra ferunt, morborum, qui in spasmis consistunt, fomitem praebere. Contra ea vinum ex arenosa vinea ipsis arthriticis salubre. Pariter tamen vnu docet, apud maiores nostros, celiae quidem, haud vini amatores, singulas articularis morbi species rariores fuisse, quum nostra actas iam singularum fere videat maximam frequentiam, praecipue inter lautius vino indulgentes. Taceo de ebrietate, taceo de regali luxu, de quibus SENECA \* laudata epistola optime. II. (conf. §. xxxii.) Extra corpus aeris temperies tam in excitandis, quam transformandis spasmorum morbis plurimum valet. Veris tempestate atque autumnali tempore inueterati articularis morbi impetus plerumque redire solent.

## §. XXXVII.

S Y M P T O M A T A §. XVIII. morbi articulatis §.  
viii., quae idiopathicam morbi caussam subsequi so-

\* ) LXXXXV.



lent, xviii., seu momenta ea, in §. viii. posita, et  
ordine deinceps enucleata iam scitius intelliguntur.  
I. *Dolor* §. viii. 2.) initio *tacitus* ex coagulato glandularum  
liquore circa articulos §. xxvi. explicabilis,  
*acerbus* §. viii. ex continuo sanguinis, lymphae,  
synouiae adfluxu §. xxvi. et inde oriundis spasmis §.  
xxvii., *punctum feriens*, πυξ παιων, a micantibus  
in περιχονδρᾳ §. xviii. venis atque arteriis §.  
xxiii.; λαξ πατησας ab intestino materiae §. xii.  
xiii. xxii. distendentis constringentisque §. xxvii.  
vasa circa articulos, praecipue in περιχονδρᾳ §. xxv.  
magis irritabilia §. xxviii.; et congregatus ibi humor  
magis magisque in acidum abiens §. xxv. et quasi  
fermentans, sensum §. xxx. parit in minimis acutissimis  
quisque vasis, §. xxiii. perinde ac si vermina intus  
molirentur, §. viii. 2.) II. Vehementior nocte §. viii.  
3.) ex §. viii. III. cum inquiete ex §. x. III. nocturna  
etiam *Ibid.*; V. cum pandiculatione, *Ibid.*; VI. *lassitudine*, *ibid.* VII. et *anxietate* §. viii. Neque vero  
anxious solum esse arthriticos, sed et timidos, valde  
sollicitos, difficiles, morosos, iracundos, quae  
omnia ex uno fonte promanant, ab experientissimis  
medicis dudum obseruatum. VIII. *Tumor* partim  
a materia, §. xiii. et xxii. quae sensim accumulatur,  
partim a distensis arteriis ceterisque vasis est, §.  
xi. et xxiii. Tumor autem et dolores dum adfunt,  
salutaria indicia existunt, naturam inuisae corpori

ri

ri ac detritae materiae expellendae operari, quum  
ysus docuerit, simul ac dolores cum tumore, solu-  
tione iam facta, cessant, morbum cum diris alis  
cruciatis totum corpus inuadere. **VIII.** *Rubor*  
index sanguinis ibi congesti: autem arteriae  
vicina premunt, iam accendentibus crassioribus par-  
ticulis §. xvi. et xxii. excipiendis aptae. Hinc va-  
sorum, membranarum, muscularum et cartilaginum  
maior contactus §. xxvii. ; hinc celerior motus;  
hinc **X.** *calor* §. viii. 6.) in turgido membro notabi-  
lis, qui autem **XI.** *ardor* fit, quae singula sine ma-  
gnis spasmis esse non possunt. Quum vero ex lege  
naturae omnem spasmus sequatur *atonia*, quae  
spasmo par est, et dum durat *atonia*, mate-  
ria tamen recens accedere pergit, **XII.** *accessio* et  
discessio, atque circuitus morbi subsequantur neces-  
se est. **XIII.** Et quoniam, ex alia naturae lege,  
omnem irritationem sequitur motus partium ani-  
mantium tremulus, qui irritationi proportione par est,  
partes corporis stimulo cordis ex calore agitatae tre-  
mulum motum per totum corpus idemtidem propa-  
gatum participant, et vis spastica per cuncta vasa  
per corpus diffusa vagatur, vniuersus corporis  
tonus patitur, singula membra horror perstrin-  
git, qui omnes omnino partes permeat et penetrat,  
atque adeo externa quoque extremitas, quae in cu-  
tem circumque fertur, adficitur. Quam spasticam cor-  
poris motionem itidem *atonia* excipit. Sed haec  
vicissi

vicissitudo spasticae commotionis partium corporis omnium et *άτονιας* inde naturalis febris est, morbi condicionibus modo expositis accessorum necessarium et naturale, §. VIII. 10.) II.) XIII. Tumidum membrum vero *minus mobile* redditur, quum propter spasmos, §. XXVIII., tum ex materia terrea §. XXII. in capsulam delapsa, quam glandularum humor lubricat, §. XXVI., maxime vero ab ea materia §. XXII. quae deinde XV. per *nodos* non numquam abit, et XVI. *ligamenta* rigidat.

### §. XXXVIII.

**E**ST vero ea materia, quae vel in cretae vel calcis forma tandem appareat, terrea, ossibus, praecipue circa articulum, sensim detrita; vel genera-  
tim eadem est, quae cartilagineam naturam in os subinde transformat, et qua ossi demta durities of-  
fis mollescit. Id quod *et* ex ratiociniis, chemicis,  
*et* ex paene incredibili, at tamen satis confirmata,  
miserrime aegrotantium historia dilucide cognoscitur, *et* ex argumentis, quae philosophi analogica dicunt, admodum verisimile est. Quod ad *illas* ra-  
tiocinationes attinet, constat, ossa ab aqua forti  
aqua non nihil diluta macerari. Quo facto, si ad-  
datur oleum tartari per deliquium, in fundo puluis  
subsedit, qui satis ablutus mera terra est. Terra ea  
*ex osse*, acido aceti perfuso, salem medium praebet  
splen-

splendidis crystallis micantem; os istud vero cartilaginis naturam induit. Quum itaque gluten corporis in cartilagine, cartilago in os exressant \*; cartilagini stabile quidquam accedat necesse est, quo os fiat. Cartilago in os durum transformanda paullo ante flauescit, terrearum particularum, quas iam sorpsit, signum. Differentia itaque inter os et cartilaginem terrea materia est, quae acido acetum adfuso decedit, eamdemque illam materiam refert, quae in articulari morbo soluitur. Iam vero quum ossibus eadem condicio sit, quae fluidis et ceteris in corporis partibus, ut semper cedentium partium locus a recens accendentibus suppleatur, quae loca vacua simul paullatim opplent et cohaesionem firmant; \*\* ratio inde patet, qua fieri possit, ut terreae partes ab ossibus naturaliter separentur, et separatae e corpore eliminentur.

### §. XXXVIII.

SED huic accedit alius modus, qui praeter naturam est, et quem morborum incredibilium pæne historia testatur. Femina quadam, cuius ονελετον σωρα Lutetiae in thesauro Academiae existat, \*\*\* annum amplius atrocissimis in singulis pro-

G pemo-

\* ) Perillustr. HALLERVS sur la formation des os, p. 252.

\*\*) Perillustris HALLER. ibid. p. 17.

\*\*\*) Memoir. de l' Academ. des Scienc. l'an 1753. p. 541-552.

E

pemodum membris excarnificata doloribus, vesicam exonerando vrinam reddidit turbidam, lacteum fere, sedimento subsidente copiosissimo, quod chemica arte exploratum gypsum reliquit, qui in aceto destillato atque fossilium acidis solutus insigneiter efferbuit. Praeter ea impetus morbi sudores quandoque excusit vehementissimos, quibus indusum quasi creta pinguitudine plena imbutum cernebatur. Tantis per dum istas excretiones natura redidit, dolores mitigati erant. Subinde autem ossa feminae duritiem suam amittere et ita emolliri, ut flecti quoquo versum possent. Acerbissima tandem morte diem obiit supremum. Singula ossa emollita, cartilagines contra nullo modo vitiosae elasticam suam virtutem inoffensam retinuerant. Aliud exemplum JOSEPH. du VERNEY\* ex Tomo III. *Actorum Hafniensium* refert. Iuuenis quidam annos natus XXIII. primum pedum, mox genuum etiam et femorum doloribus adfici. Interiecto anni interuallo is omnibus membris adeo aeger, ut non nisi in lecto esse posset: ex quo ossa mollescere, dolores insuper aegrum disrumpere tantisper, dum cuncta ossa tam mollia facta sunt, ut cerae instar flecti sine ullo doloris sensu potuerint in quasuis figuram. Musculi quum repugnatio deficeret ossium sese mirum in modum atque in tantum contrahere, ut iuuenis, qui

\* Traité des Maladies des os. Tom. I. Préface, p. 138.

qui eximia corporis specie erat, magnitudine paulo infra parvulum puerum esset. In tam miserabili statu miserrimam vitam annos octo sustentauit. Proximo mense ante mortem doloribus denuo intolerabilibus confectus est.

#### §. XXXX.

**ANALOGICA** itidem argumenta hanc sententiam confirmare videntur, quoniam eadem fere ratio in aliis morbis cernitur, de quibus memoratu dignissimus est perilluстр. auтор van SWIETEN.\* Patet itaque luculenter, qua ratione terrea ossium materia, quae cum sanis humoribus per orbem fertur, ossium nutritia, quatenus *vel* de recta via declinat et ad falsa loca aberrauit, *vel* ossibus detrita naturaliter e corpore eiicienda, si ligamenta articulorum occupet, articulos immobiles reddat. De incitatis sanguinis ictibus, qui spasmos frequentes §. XXVIII. et vehementes non possunt non subsequi, itemque de febre, acrimoniae in corpore §. XIII. - XIII. commotionis, ac tantorum spasmodorum comite supra §. XXXVII: tandemque de urina §. XV. dictum est.

#### §. XXXXI.

**SCITIUS PNEUMATISMORUM** §. XI. et **ARTICULARIS** morbi naturam intelligens medicus internoscet ex

G 2

fede

¶ In Comm. ad Aphor. BOERH. Tom. I. §. 549.



sede morbi. Vel enim musculi adisciuntur §. xii, vel articuli vicinae partes, §. xviii. Transeo ad articularis morbi species, quas tamen non fusius persequar: enumerare praecipuas sufficiet. Quum vero morbus iste sensus sit materiae circumiectas articuli partes exedentis §. xviii. diuersae morbi articularis formae enodari possunt ex vario, quod singulatim ponitur, distinctionis fundamento. Ex singulis enim morbi proprietatibus suae cuiusque species resultant. Primum quia sensus est, binae distinctiones locum habent. Aut enim *nous* est morbus articularis, quo nondum antea aeger laborauit; aut *inueteratus*. Item vel *ordinarius*, consueta symptomata habens; *extraordinarius*. Deinde ratione materiae duplex iterum diuersitas. Aut enim est *symptomaticus*, ex alius morbi peruersa curatione ortus, aut *idiopathicus*. Vel  $\epsilon\nu\delta\eta\mu\iota\omega\zeta$ , vt §. xxxii; vel, quod vsu constat, ex contagio §. xiii; vel hereditarius §. xvi. \* Porro ratione articu-

\* De cuius origine eximie commentatus est perillustr. van SWIETEN Tom. III. p. 404-423. Vir perillustris *alibi*, noui sapientem virum, inquit, qui sciens per plures generationes in propria familia morbum hunc propagatum fuisse, caelibem elegit vitam, ne posteritati traderet infestum malum." Conf. THOM. WALLSIVS de anim. brut Part. II. c. 14. p. 505. et 512. Edit. Amstel. HERM. GRVBE de transplantat. morbor. Sect. I. cap. 3. ANDR. LAURENTII Histor.

ticulorum, qui adscientur, quum locus tum numerus articulorum considerandi sunt. De peculiari morbi fede subiectae formae suo quaque nomine insignitae sunt: attamen dicto plures existere posse morbi species ex §. xi. facile intelligitur. In pedibus *podagra*, vbi vel malleolos vel plantam vel pollicis articulum praecipue adfligit. Quod vero articularis morbus pedes plerumque infestet, ex §. xxiiii. et xxv. colligitur. Quum enim tanta in iuncturis articulorum pedis et circa tendines glandularum copia, atque sanguinis motus propter longissimam a corde distantiam et, quia acclivis est, non nisi latus procedat; humores in glandulis faciliori negotio stagnare possunt, et celerior materiae inuisae in venas redditus impeditur. Accedunt saepe ea, quae §. xxxii. dicta sunt. In genibus *γοναγεα*. Ad coxas *lumborum dolor*, *ischiacus*. Circa spinam dorsi *ραχισαγεα*. Qui humeros infestat *ωφογεα*; circa cubitum *πηχιαγεα*; in manuum articulis *chiragra*, vel in carpo vel *μεταναρη* vel digitorum vinculis. Circa collum *Τεαχληγεα*. To *ιοειδες* adsciens, *γλωσσαγεα*: dentes, *οδονταγεα*; maxillam, *σιαγωναγεα*.

G 3

για:

*flor. Anat.* Libr. VIII, c. 2. qu. 5. Et dignus, qui summatim videatur GEORG. AVG. KOERBER de *arthritis*, Goetting. 1800CCCLX.



*via*: alterutram cerebri partem, *caluariae dolores*,  
*ηυμαριον*. Praeter ea vel *vnus*, eumque solum,  
carnificat articulum, *particularis*; vel cunctos, *uni-*  
*uersalis*. Hic vel mobilis est, *vagus*\*, vel non,  
*fixus*.

\* *VAGI* vero illius doloris, qui etiam *simplex* et *scorbuticus* nominatur, haec fere ratio esse videtur. Acrimonia §. xiii-xv. in vasis adhuc contenta, nondum satis fibrarum contractu concocta sanguinem exagit, eiusque in orbem motum, in glandulis praecipue §. xxvi., et ligamentis §. xxiiii. maximopere offendit, neque exitum inueniens, quem reperisse sanitatis magni intererat, per venas et lymphae vasa redux ex alia in alias iuncturae sedem defertur, maxime ibi in glandulis residit, vel etiam viscera adgreditur, atque in alias intro partes dispergitur, in quas imparatas quam incidit, hominem in periculum et in sumnum vitae discrimen adducit. In primis vero ex scorbutica corporis *longioria* ventriculi que eruditatibus magnae acrimoniae accessiones proficiuntur necesse est. Hae enim vasa debilitant, ventriculi atque intestini vim frangunt. Attenuato autem lactearum mesenterii venarum tono §. xxx. nutritius succus neque humore glandularum satis dilui, neque agitatione venarum ipsarum rite extenuari poterit; unde chylus sano sanguini minus idoneus, causa morbi articularis §. xxii. *vagi*. Quidquid inquinamentum scorbuticum auget, et vias glandularum praesepit, et vel mesenterii, vel pancreatis, vel iecoris, vel lienis et tonum infringit, *articularem morbum vagum* facile gignit. Plerumque istud in inueterato morbo accidit. Adacta enim subinde peioris materiae copia, vnius articuli vasa saepe non omnem capere valent: abundans vero in machine corporis ex frequenti morbi accessione apprime attrita in aliis membris locum facile inuenit, in primis obstructis atque infartis aegri membra vasis; hinc *morbus vagus*.

*fixus.* Tandem exedens materia distinguendi fundamenta praebet. Namque eam ob caussam aut *nodosus* est, quum in callum abit; aut non: aut cum *febre vehementiori*, aut *temperata*. Aut *calidus* est, cum grauiore ardore §. viii. coniunctus, cum *έρυσιπελατι*, *inflammatione* cet.; vel *frigidius*\* συν *οιδηματι* fere dolores.

### §. XXXII.

HACTENVS de articulari morbo generatim dicenda: tranſeo ad symptomaticam speciem, §. XXXI., venereum. Est vero MORBV S ARTICVLARIS VENEREV S sensus materiae circumie-ctas articuli partes exedentis peruersae venerei morbi curationi in corpore superstitis. *Symptomaticus* puta, nam de idiopathicō articulari morbo ex venereo vitio iam supra §. xxxiii. et xxvi. dixi. Idiopathicus inde oboriri potest, quod virus venereum ad articulos transit, et cum synouia §. xxvi. commiscetur articulari, quem ad modum BOERHAVIVS ait in Praefatione Editionis suae *Aphrodisiaci*, de qua deinceps dicetur §. xxxxvi. Praestantissimus hac de re auтор, IO. ASTRVC\*\*) ita: "Experientia notum „ est dolores rheumaticos, arthriticos et ischiadi-

„ COS

\*) Videſis celebri. MICH. ETTMÜLLERI Coll. pract. Libr. II.  
Sect. 2. c. 3. artic. 8. Itemque Coll. eiusd. Consult. Cap. 49.

\*\*) De morbis vener. L. III. c. X. §. VI.



„cos, tum quum maxime a seminio venereo produci creduntur, plerumque tamen legitimae hydroargyrosi supereffè, dum cetera luis symptomata euanescent. Quod videtur a triplici causa dependere, I°. ab acrimonia, quam sanguis ab admixto contagio venereo contraxit, vnde falsior acriorque lympha tendineis fibrosisque partibus infunditur. II°. A visciditate nimia sanguinis et lymphae, vnde tardius per angusta partium vasa circulantur, et in iisdem haerent stagnantque facilius. III°. Ab atonia et laxitate, quae praecedentibus crebrisque decubitus accessit fibrosis ligamentorum, tendinum et musculosarum tunicarum staminibus, vnde futurae falsioris lymphae stagnationi facilius patent.” At vero morbus, cuius sanandi caufa medicina adhibetur, si quando aliud corporis vitium relinquit, quod non praeuidere solum, sed cui succurrere etiam arte poterat sapiens medicus; haud rete qui medicinam fecit consuluisse, parumque adhuc profecisse censendus est. Ea enim demum **BONA CVRATIO** est, qua finis obtinetur medici, sanitas, vel integra vel tanta saltem eius pars, quantam iam reddere medicina valet: bona curatio est usus medicamentorum vere sufficientium, aduersus hunc morbum propriorum. Contra **TVRPIIS CVRATIO** est, quae a salutari medicina aber-

aberrat, quum aut morbum non satis intelligit Themiso, aut medicamenti natura ipsum fugit, qui experientia, vti loquuntur, sola contentus subtilem medicinae rationem, non vsu solum sed et chemica atque physica arte explorandam non nouit. Turpis vero et peruersa curatio nulla est.

### §. XXXIII.

DIGREDIOR, nec liquet mihi quo usque, de cauffa; sed, (non sunt enim repudianda) digredior. Officium medici est curare ad sanandum apposite, et subsidia sanitatis redintegranda MEDICAMENTA esse debent. FINIS *medici* est sanare curatione, adhibere ea, quae restituere certo vel probabiliter valent functiones corporis laefas, partis incolumentem, hominis vigorem; vel generaliter id omne profligare, quod naturae officit, in primis morbi circum confinia adhuc ludens. Quum vero SUBSIDIA sint cauffae actionum, per quas finis obtinetur; pro diuersitate cauffarum tum finis medici tum medicamenta alia atque alia sunt. Medicamenta siue simplicia siue composita ideo adhibentur, vt vel conualefac aeger, vt sanus fiat, vel vt mitigent ea saltem morbum. Ex quibus intelligitur, alia subordinata esse, quem ad modum in schola philosophi loquuntur, alia coordinata, alia PRIMARIA. PRIMARIA sunt, quae maximam rationem

H

con-



continent, vt morbus depellatur. **S**UBORDINA-  
**T**A medicamenta sunt, per quae ordinariis symptomatis  
medicus cauet: **C**OORDINATA aduersus  
extraordinaria symptomata propinuantur. Quae-  
cumque a medico dantur, ea saltem dantur mente,  
vt singula non nisi naturae succurrant, vt pote  
quum repugnante natura nihil medicina proficiat,  
neque in vlo morbo plus sibi ars quam natura vin-  
dicare possit. Medicus imperatus ab aegroto, dum  
caussam morbi non videt, id ipsi religio sit, ne me-  
dicinae imperator temere fiat, quasi danda statim  
remedia sunt, communia saltem, qualiscumque  
erit, efficientia. Verum si medicinam adhibeat, id  
id agat consiliis suis, et vt aduersus morbum pro-  
pria imperet, et naturae apposite conuentia, quae  
aegrum certissime ad salutem reducent. Namque  
in eo desciscere me a **C**ELSO\* debere existimo, qui,  
„ magis ignoscendum medico esse, ait, parum pro-  
„ ficienti in acutis morbis, quam in longis. Hic  
„ enim breue spatium esse, intra quod si auxilium  
„ non profuit, aeger extingueretur: ibi et deli-  
„ berationi, et mutationi remediorum tempus pa-  
„ tere, adeo vt raro, si inter initia medicus acces-  
„ serit, obsequens aeger sine illius vitio pereat;  
„ cet., Quodsi enim plus debeat medico, quam  
mercedula, abs quo inaestimabilem rem, vitam et  
vale-

\* ) De re medica, Libr. III. c. 1.

valetudinem bonam emit ciuīs; quodsi summa reue-  
rentia, quodsi magna quoque caritas medico sit,<sup>\*</sup>  
cui non rei pretium, sed laboris forte soluitur, quod  
deseruit, quod a rebus suis auocatus nobis vocat;  
quodsi ingratus denique censendus sit, qui nihil  
plus, quam pepigit, sapienti atque eximio medi-  
co, cui diligentiae pretium semper debetur, debe-  
re se existimat: is certe ex insigni interpolium tur-  
ba, e proletariorum saepe victorum multitudine in-  
terficere doctorum plurimos, is certe ex circum-  
foraneis, vel ex insolentius gloriofa vmbriticorum  
ventosa schola sit necesse est, qui compositiones  
et mixturas inexplicabiles decantat, qui suam cuique  
venalem vitam promittit, periculis alienis disicit,  
et experimenta per mortes agit, vltroque qui pe-  
riore arguit, intemperantiam culpat, auctoritate  
fretus impunitatis. ” Ita hercule in hac artium so-  
” la euenit, vt cuicunque medicum se professo  
” statim credatur, quum sit periculum in nullo  
” mendacio maius; palamque est, vt quisque inter  
” ipsos loquendo pollet,” vel nouitate aliqua fa-  
mam aucupatur, animas statim plurimorum negotia-  
ri, atque grandiloqua artis venditatione impera-  
torem illico vitae necisque fieri. \*\*

H 2

§. XXXXIII.

\*) SENECA de benefic. Libr. VI. c. 15-17.

\*\*) PLINIVS Hist. nat. Libr. xxviii, c. I. Sect. 5. sq.

## §. XXXIII.

SED vt eo, vnde digressa est, referat se oratio, ea, de quibus incomparabilis auctor, ASTRVC §. XXXII. dicit, quum ex natura morbi, tum ex medicamentis maxime, quibus vti vt plurimum solent, sunt disquirenda. Essentia articularis morbi venerei in vitio peruersae curationi luis venereae superstiti consistit, §. XXXII. Atque haec cunctas huius morbi idiopathicas proprietates complectuntur. Symptomata vero §. XVIII. partim illis plane respondent, quae §. VIII. generatim exposita sunt, partim venerei ipsius vitii itemque medicinae minus commoda reliquiae sunt. Sunt quidem variae venerei morbi formae gradatim ingrauescentes: singularum autem ex viro venereo scaturigo est. Ad cuius naturam quod attinet, lubentius equidem eorum sententiae ad stipulor, quibus *μιαστρα* illud pestilens, de cuius origine, progressu et natalibus celeberrimus ASTRVC \* locupletissimus auctor existit, et cuius vis quotannis incredibilem fere hominum numerum pestifera internectione occidit \*\*, peculiaris sal fixus acer esse vide-

\*) De morbis vener. (Edit. Parif.) p. 1-70.

\*\*) Id quod ex tabulis liquet demortuorum, ex gr. Londini, quas praeter alios suis MILCH exhibit, praeципue in dem II. Theile der göttlichen Ordnung in den Veränder, des menschlichen Geschlechts aus der Geburt, dem Tode, und der Fortpflanzung desselben, §. 519. et passim in aliis locis.

videtur, exedendi vim habens vehementem, cuius modica \*, immo vero minuta saepe portio \*\*, si contactu resorbens vas corporis ingressa fuerit, cunctos corporis humores sensim inficere valet \*\*\*, praecipue vero in seminalis liquoris vehiculis residere solet. Intelligitur inde, subtilissimum istud virus non aura et per se quidem propagari; hinc nec volatile esse, et si negare non ausim, quod idem virus alienis particulis, oleosis ac terreis, inuolutum, quum non nisi per calorem in vas a transeat partium corporis molliorum, simul ac resorbetur, non quasi volatile fiat, et natura φλογιστικη cuiuspiam vasa ineat. Acceptum vero, quantum per φωμενα ratiocinari licet, extrema vasorum capillamenta constringat §. xxvii. oportet vel quasi crispetur, ut accedenti sanguini transfundat negent. Quo facto accumulatus sanguis vasa

H 3 petit

\*) Secundum WIH. FABRICIVM (*Hildanum*) in Centuria V. Observationum medico-chirurgicarum, obs. 97.

\*\*) Per illustr. de ROSENSTEIN von Kinderkrankheiten, nach der Uebersetzung des Hr. MURRAY, Seit. 464-469. ASTREV. de morbis vener. p. 88. itemque in libro V et VI. passim.

\*\*\*) Vel astutum cernitur, vel tacite in corpore latet, sub varia aegritudinis larua non nunquam ebulliens, tandemque interiecto deinceps annorum intervallo sese manifestare demum incipit. Id quod GOULARD docet, (*Oeuvres de Chirurgie* Tom. II, p. 19.), itemque generosissimus de ROSENSTEIN von den Kinderkrankheiten nach des Hr. MURRAY Uebersetzung, Seit. 471-475.



petit socia minora, quae continuo suo adfluxu magis ac magis expandit, lymphatica premit, exuberat, retardatur; unde vasa turgescunt, hinc inflammationis signa subinde conspicua. Praeter ea ex iisdem *Pathogeois* colligitur, vasa, quae inuidit venenum istud, progressu temporis arrodi atque exulcerari; hinc vel a spiculis veneni eius, vel ab intestino motu humorum corporis in hac vel illa parte rigentium fibrae vasorum discinduntur, planeque dissoluuntur. Denique si vel adeo non valeat virus, ut partes disrumpat, lymphatica vasa ingreditur, atque acore suo lympham coagulat, crassamque reddit et induratam, ut haec naturae tandem viribus in *σημεῖοις* abire cogatur.

#### §. XXXV.

Si a ceteris omnibus remediis discessero, quibus abundat ars medica, deducendae inuisae huic materiae idoneis, medicamentum, quod adversus hoc malum proprium, certissimum, minusque noxiū vulgo habetur, et lignis omnibus ac radicibus valde praestare censetur, argentum viuum est, medicina hodie maxime insignis, longeque celebratissima, quae priscis medicis omnibus mortiferum venenum esse videbatur. Apud Arabes autem in honore fuit, extrinsecus corpori saepius applicatum. Sub finem saeculi XIII., aut non mul-

to

to fecus; certe ineunte saeculo decimo quarto, quod aeuum cupidum litterarum in Europa euadere tandem coepit, vbi iam longe lateque Arabum studia inclaruerant, medici Europae Arabes aemulati primum magnam medicamentorum copiam ab illis acceperunt. THEODORICVS \* quidem primus in Europa esse fertur, qui argentum viuum extrinsecus corpori applicuerit. \*\* Sed ARNOLDVM de VILLANOVA, qui medicinae studia maxime apud Arabes coluit, atque Lutetiae praeter medicam argenti viui virtutem \*\*\* chemica quam plurima remedia medicamentorum officiniis atque tabernis tradidit, \* prius, quam THEODORICVM, argenti viui usum in Europa instituisse non est, quod dubitemus. Hos exceperunt WILHELMVS de VARIGNANA, \*\* de quo GESNERVS \*\*\* falso iudicat, quod medicamenta WILH. de VARIGNANA non nisi ab antiquissimis petita sint. Nam 10, de VIGO, quem medicamenta sua ex argento viuo parata amplissimae pecuniae dominum fecerunt, et cuius emplastrum de ranis cum mercurio etiamnum celebra-

\* ) Videat. FREIND Histoire de la Medecin; P. III. p. 136.

\*\*) Conf. THEODORICI Chirurgiae Liber I, c. 15. de malo mortuo.

\*\*\*) Videſis Medic. eius Practic. L. II, c. 43.

\*) De quibus CONRINGIVS in Introd. in art. medic. p. 102.

\*\*) In secretis sublimibus, Tract. III, c. 1.

\*\*\*) In Enumerat. alphabet. Chirurg. illustrum: litt. G,



bratur \*, is quidem ingenue fatetur \*\*: „ Quid  
„ quid boni inuentum fuit tam de localibus, quam  
„ vniuersalibus auxiliis pro curatione eiusmodi mor-  
„ bi gallici , (et crede mihi tamquam experto in  
„ tali re) a THEODORICO, capit. de malo mor-  
„ tuo , et ARNOLDO de VILLANOVA, cap. de  
„ cura scabiei accepimus. „ — BERNHARDVS  
GORDONIVS \*\*\*: ceteri; qui singuli virtutem ar-  
gento viuo propriam, tum pediculos abigendi tum  
aduersus scabiem, esse docuerunt.

### §. XXXVI.

TANDEM ineunte saeculo decimo sexto, ex  
quo venerea corporis vitia Europa primum vidit,  
medici idemtide argenti viui usum in his morbis  
frequentare coeperunt, quorum vera cauſa late-  
bat, et qui ob pustulas, quibus id temporis scate-  
bat lues venerea, ad scabiei, mali mortui, impetigi-  
nis, ignis sacri similitudinem medicis proxime acce-  
dere sunt visi. Omnia primus, qui saliuatione cu-  
rauit, IAC. BERENGARIUS (vulgo *Carpus*) fuit, \*\*\*\*)  
id

\*) Conf. Pharmac. Wirtenb. p. 68.

\*\*) In Practica Chirurgiae, Libr. V., de morbo gallico, c. 3.

\*\*\*) Conf. Liliu medicinæ I. c. 14. et II. c. 9.

\*\*\*\*) Vide STOLLII Historie der Medicin, Seite 407. und die  
folgend.

id quod vel negare <sup>\*</sup>, vel de quo perplexe saltem  
 \*\* loqui, ne dicam ipse secum pugnare videtur ce-  
 leberrimus ASTRVC. Arte sua BERENGARIO  
 autem tanta facta est pecuniae accessio, ut Ferra-  
 rienium id temporis Duci, quem heredem amici-  
 tia ductus scripsérat, quippe qui Bononiae exsulem  
 BERENGARIVM in fidem vltro receperat, qua-  
 draginta millia amplius nummum aureorum, quos  
 ducatos vocant, numeratos reliquit. Hunc IO. de  
 VIGO sequutus, cuius mentio modo inserta est  
 §. praeced. Tum IO. MANARDVS ille, cuius, quum  
 arthriticus esset, \*\*\* obitus ipsa nuptiarum suarum  
 nocte ex fullonio virginis fructu fama aequa cele-  
 bratus est, ac praeclarae epistolae eius \*\*\*\* etiam-  
 nam haud parui aestimantur. Alios de hoc morbo

## I

## fcri-

<sup>\*</sup>) ASTRVC de morbis venereis, Edit. Lutet. Paris. 1736. p. 574.

"Carpus (IO. BERENGARIVS) non fuit inuentor mercurii  
 " ad curandam luem venereum adhibendi.

<sup>\*\*</sup>) IDEM p. 120. "Idcirco vix in eam opinionem adduci possim,  
 " vt putem IO. CARPV M Mercurii in curanda lue venerea  
 " adhibendi primum inuentorem fuisse. Cum quibus conf.  
 " p. 439. Vnde liquet, post IAC. BERENGARIVM CAR-  
 " PV M, IO. de VIGO et antiquissimum et egregium hydrar-  
 " gyrofeos inuentorem fuisse."

<sup>\*\*\*</sup>) Vid. rarae illac PETR. CASTELLANI vitae illustrium me-  
 dicorum, de MANARDO.

<sup>\*\*\*\*</sup>) Conf. Jatrologia eius epistolica, seu curia medica xx. libris  
 epistolarum ac consult. adumbata: vbi binae epistolae de  
 morbo gallico, altera L. I. I. altera L. VII. 2.



scriptores videsis in collectione auctorum, qui de morbo gallico commentati sunt. \* Singuli tamen isti argento viuo non nisi extrinsecus vel in vnguento, vel in emplastro, quae maximam partem argento viuo constabant, vel tandem, sed etiam non nisi externe in puluere rubro, eoque timide admodum non odiceque visi sunt, vel in suffimento. Emplastro quidem atque vnguento πτυαλισμός prouocatus est; suffitione vero sudor intolerabilis paene tantisper, dum saliuatio rite subsequuta est. Tandem sexto decimo saeculo, anno 1536. et 1537., aut non multo secus, interni argenti

viui

\*) Quum in Papiensi, ab anno 1516. in Fol.; tum Venetis binis, priore ab anno 1535. in Octau. " Liber de morbo gallico, in quo diuersi celeberrimi in tali materia scribentes continentur auctores, videlicet cet." Posteriore, quae praestantissima est, ab ALOYSIO LEVISINO in 2 Vol. in Fol., quorum prius anno 1566., posterius 1567. Venetiis in lucem edita sunt, ibique iterum ex typographeo Baretii data anno 1599, inscripta: "Aphrodisiacus siue de lue venerea in duo volumina bipartitus, continens omnia, quaecumque haec tenus de hac re sunt ab omnibus medicis conscripta, nouissime collectus." Alia ciudem *Aphrodisiaci* editio exstat, eaque omnium optima, et si multa habeat ASTRVC, p. 554, 555, quae de illa moneat, BOERHAAVII cura, anno 1728. Lugd. Bat in Fol. Tandem IO. BELII editio quoque exstat, Basileae, anno 1536. in Quarto promulgata, inscripta quidem; "Morbi gallici curandi ratio exquisitissima, a variis iisdemque peritissimis medicis conscripta."

viui usus tentatus primum\* non quidem a NICOL.  
MASSA, \*\* sed a PETRO ANDREA MATTHIOLO  
\*\*\*, qui et si pessime eam ob caussam a medicorum  
turba audiret, puluerem tamen illum rubrum a 10-  
de VIGO inuentum \*\*\*\* interne dedit. Mox sub  
Francisci I. temporibus a Turcis pilulae illae, quae a  
CHAIREDINO *Barbarussa* nomen traxerunt, in Eu-  
ropam migrauerunt, et frequentari a medicis in  
morbo venereo, licet infelici primum euentu, coe-

I 2

perunt.

\*) Equidem non satis sclo, qua ratione duclus perillustris van  
swieten in Comm. ad Aphorism. BOERHAAVI Tom. I.  
p. 206. hoc IOANNI de VIGO tribuat, vbi dicit: "Post ea  
ad lucem venereum curandam laudauerunt externum tan-  
tum usum medici, donec primus fuerit IOANNES de VI-  
GO, qui praecepsit rubrum interne exhibuerit." Li-  
ceat mihi ingenue consitenti, quod quidem hoc nusquam vel  
in 10. de VIGO vel alias auctoris scriptis legere memini,  
quid? quod 10. de VIGO ipse negat in *Praef. Chirurgiae co-  
piosa* L. V. c. I. puluerem illum in morbis venereis a fe adhi-  
bitum esse, quem aduersus pestem atque in colicis cruciati-  
bus interne dederat.

\*\*) Qui ab ipso MATTHIOLO citatur in libro de *morbo gallico*.  
Certe MASSA de morbo gallico librum scripsit maxime exi-  
mum, in cuius Tract. VI. c. 6. de usu pulueris fuse differit,  
ab ipso tamen non nisi extrinsecus corpori applicato.

\*\*\*) Conf. celebr. ASTRUC de morbis venereis, p. 126 et 127.

\*\*\*\*) Conf. Practica eius Chirurgiae L. VIII. c. 13. NICOL. MASSA  
et si neget se pulueris compositionem a 10. de VIGO didi-  
cisse, gloriam tamen inuentionis ipsi haud derogare audet.

perunt. \* Nostrates suffimina atque emplastra, remedia per se atrocia, reliquerunt; vnguenta vero et internum mercurii usum, hunc tamen perinde atque illa longe alia ratione ac pristino aeuo, adhibere pergunt. Etenim chemica arte aetas nostra mirum quantum locupletata ex argento viuo varia praeparata in promptu habet, ut *mercurium sublimatum* (ex ♀ viuo aqua forti soluto, deductis rite deducendis additoque vitriolo ad candorem calc. et sale decrepit. ~~aa.~~ itemque nitri semisse, quae chemica arte sublimantur. \*\*); *mercurium ex minio PLINII seu cinnabare resuscitatum*; *mercurium dulcem*, (ex argento viuo et merc. sublimato); *mercurium viuum dulcem*, (ex ♀ manna Calabrina subacto); *mercurium depuratum*; *coagulatum*; *alcalisatum*, (ex ♀ pulueratis ostrearum testis subacto); *virgineum*; *αντιφθιστινον*, (ex ♀ balsamo Peruano sicco subacto); *aethiopem mineralem*, (ex ♀ et floribus sulph. in mortario lapideo tantisper contundendis atterendisque, dum puluis exeat niger); *antiscorbuticum*; *διρετινον*; *καθαρινον* \*\*\*; *violaceum*

\* *prae-*

\*) De quibus consulendi perill. van SWIETEN Tom. I. p 206.

ASTRVC de morbis venereis, p. 127. PETR. de BAYRO in Enchiridio de medendis cet.

\*\*) Alia etiam ratione saepe obtinetur, ut experientia docet chemica, de visitata praeparatione conf. celebr. VOGEL Inflit. chemiae, p. 261. sq.

\*\*\*) ASTRVC p. 128.

\* *praecipitatum album*; *praecipitatum rubrum* \*\*; *bezoard.*; *praecipitatum luteum*, — *gryiseum* — *videm* — *miraculosum cet.*; *panaceam mercuriale* \*\*\*; *ptisanam sudoriferam ex mercurio* \*\*\*\*; *solutio-*  
*nen mercurii per deliquium*; \*; *fixum DAVIDIS*  
*de PLANIS CAMPY*; \*\* *cetera*.

## §. XXXXVII.

S E D quoniam tam multiplex ratio mercurii aduersus venerea vitia adhibendi expertos medicos saepe fecerunt \*\*\*; hodie ea plerumque methodus recepta inualuit, ut vel argentum viuum extrinsecus circa articulos aegroti iterum iterumque tantisper inungant, dum πτυαλισμός subsequ-

*\*) Idem* p. 415.

<sup>\*\*) Mercurius PAVLLI de SORBAIT. Vid. Prax. eius medica, Tract II. §. 6. Conf. AST RVC de morbis ven. p. 537. III°.</sup>

\*\*\*) Pharmac. Wirtenb. Part. II. p. 124.

\*\*\*\*\*) Vid. AST RVC Libr. IV. c. 12. V. p. 414.

<sup>\*)</sup> *Ibid.* p. 415.

\*\*) *Idem* p. 519. II.

\*\*\* Id quod ut ab aliis quam plurimis discedam testantur celebr.  
BOERHAAVIUS in Chem. Tom. I. p. 578. et Tom. II. p. 432.  
atque ASTRVIC de morbis ven. L. H. c. VII. p. 126-130. et c.  
IX. p. 146-150. MAXIMIL. LOCHERI Obseruat. practic cir-  
ca luen. Lot de arthritide incongrui mercurialium vfuscus effe-  
ctu. Per illustris von ROSENSTEIN Anweisung zur Kenntnis  
und Kur der Kinderkrankheiten; Edit. excell. MURRAY, p.

tus est; *vel*, ne πτυαλισμός excitetur, ad praescripta clarissimi CHICOYNEAU et HENR. HAGUENOT \*) aethiopem mineralē vel vnguentum mercuriale extrinsecus adhibent, purgantibus non nullis mistum; *vel* denique ore deglutienda ex mercurio praeparata exhibent varia, §. *praec.* ordine relata, de quibus vsu constat, quod haec aut efficiant saluationem, aut alio non numquam modo corpore exeant, et de quorum singulorum specialiori ac cauto vsu egregie commentatus est perillustris von ROSENSTEIN \*\*). Atqui haec sunt legitima illa remedia, de quibus cel. ASTRVC, §. XXXXII., dicit, *arthriticos dolores plerumque tamen legitimae hydrargyrosi supereffe, dum cetera luis symptomata euaneantur.* Quodsi non vsu autem solum extra omnem dubitationis aleam positum est, consuetum, de quo modo dixi, mercurii usum, qui πτυαλισμόν promouet, admodum periculosum esse, id quod ipse cel. ASTRVC \*\*\* inficias ire nequivit, sed si recta insuper rationis principia idem confirmant; prono inde fonte consequetur, tritum hoc usque mercurialium usum bonae curationis nomine insigniri minime posse, §. XXXXII.  
 §. XXXXVIII.

\*) Mémoire contenant une nouvelle méthode de traiter la Vérole, Montpell. in 8. 1734.

\*\*) Im angeführten Buche; Seite 495-507.

\*\*\*) De morbis ven. Lib. IV. c. X. p. 383-410: atque in subsequentibus passim.

## §. XXXVIII.

SED non vna aut altera ratio, verum tam  
tum non singula, quae internus mercurialium usus  
fert, adhortari medicum videntur, vt in tam peri-  
culoso medicamine cautus sit, ne facile commit-  
tat, quo *πτυαλισμός* subsequatur. Mitto odiosa  
molestissimae saliuationis incommoda, quae in apri-  
co sunt; mitto non eamdem sanandi rationem,  
grauissimam atque atrocem eam exscreationem sin-  
gulis conuenire \*; mitto nec opus, neque vero ne-  
cessē esse, vt acre *συφίλητος* virus per glandu-  
las, quae os saliuia humeant, excernatur demum,  
praecipue quum alia remedia adsint, a perillustri  
van SWIETEN laudata, a LOCHERO \*\* confirmata  
quae in Gallia, Suecia, Anglia itemque Germa-  
nia a medicis sapientibus adhibentur, \*\*\* alia prae-

ter

\*) Consilendus N. ROSEN de ROSENSTEIN L. cit. p. 493.

\*\*) In Obseruat. pract. circa luem.

\*\*\*) ROSEN de ROSENSTEIN L. cit. p. 507-511. Conf perillustre.  
BÜCHNERI diff. de mercurii sublimati corrosiui usu medico in-  
terno; Halae 1758. Adde celeberr. HARTMANNI diff. obseruat.  
quasdam ad cicutae, mercurii sublimati et phosphori usum  
internum sistentem. Helmst. 1763. — In his remediis praestan-  
tissimum est, a perillustri van SWIETEN commendatum,  
sequens:

Rx. Mercurii sublim. corrosiui in puluer. subtiliss. triti gr. xxiv.

Spiritus ardantis e frumento, fls. iv.

Digere, subinde agitando, donec mercurius solutus fuerit.

Dr. ad lagenam vitream.



ter ea a numquam satis suspicioendo celebr. PLENCKIO \* reperta, de quibus deinceps fusius differam. Sunt haec magna atque attentione ac prouidentia medici longe dignissima: sub splendida autem rationis luce, vbi detimenta saliuationis summa ante oculos sunt, ista fere minima. Nihil de excellentissimi Montis pessulani pridem Professoris et Archiatri regis CHICO YNEAU methodo, nihil de anxie circumscriptis diaetae eius limitibus, nihil de erroneo saepe istius effectu \*\* queror, quippe qua inuite etiam nec opinato, teste PLENCKIO, πτυαλισμός non numquam producitur. Taceo de noxa, quid! de extrema sanitatis iactura, *vel* si consueta vulgo mercurii medicina corpus imparatum offendat; ex gr. *si vel nulla, vel nimia vel parcior alui ductio sanguinisque deductio facta sit; vel* si sua intolerabilis paene diaetae praescripta deseruerit συφιλητικός, *si quando acido cibo, §. XXXVI.*, ad modum falso, aromatibus condito, pinguiori, cet. summatim difficilioris concoctionis cibis et vino usus fuerit; *vel* si regimen medicus ordinet aut aestuofum aut iusto frigidius, quorum utrumlibet facilime contigit. Praetereo, quae perillustris de

ROSEN-

\* ) Ios. IAC. PLENCK methodus noua et faciliis argentum viuum aegris venerea labo infectis exhibendi. Vindeb. 1766:  
Conf. Sectio huius Disput. III.

\*\*) Idem p. 54, 55. Id quod ego etiam Berolini vidi.

ROSENSTEIN \* obseruauit, PLENCKIVS \*\* confirmauit: " In saliuatione mercuriali copiose qui-  
 " dem miscetur mercurius humoribus nostris, sed  
 " per saliuationem cito nimis iterum ex corpore  
 " eiicitur. Nam cum saliuia primis diebus electa  
 " mercurium simul eiici, docet aurum in ore re-  
 " tentum; quod a tali saliuia albescit. Sed si non ite-  
 " rum nouus ingeratur mercurius, saliuatio conti-  
 " nuata non amplius dealbat aurum, certo signo,  
 " quod omnis mercurius iterum e corpore sit eli-  
 " minatus. „ — " Ciere tamen *πτυαλισμον* ul-  
 " cera faucium ex illo orta pergunt, etiam si mer-  
 " curius non amplius eumdem protrudere possit.  
 " Quoniam autem maxima argenti viui pars ad su-  
 " periores corporis partes meat, rarius istud per  
 " reliqua membra distribuetur. Eam ob cauissam  
 " virus in his partibus latitans minus remouebitur.  
 " Accedit huc, quod iusta per *πτυαλισμον* cura-  
 " tio requirat, vt inunctio iterum iterumque, id-  
 " que fortiter infricando repetatur. Quod fieri  
 " nequit, nisi vt febris oboriatur, §. xxxvi, p. 48.  
 " Hinc multa vasa in cute adeo comprimantur ne-  
 " cessum est, vt mercurio ne ineundi quidem singu-  
 " la locus sit. Apparet itaque, hic illuc in corpo-

K

re,

\*) Libr. citat. p. 492, 493.

\*\*) Libr. citato, p. 50.



„ re virus relinqui. „ \* Transeo recrudescentes  
inde morbos , qui plerumque mortiferi sunt; \*\*  
transeo redeuntes interiecto temporis interuallo  
nouas venerei morbi tentationes, easque grauiores,  
quem ad modum omnis recidiuus morbus anceps  
esse solet. Praetereo sanissimum etiam hominem  
ex mercurii vnguento perinde ac lue venerea infe-  
ctum exscreare. Taceo tandem, *πτυολισμον* si-  
gillatim *ηεισω*, vt *G A L E N V S* loquitur, imper-  
fectam saltem minimeque certam subministrare. \*\*\*  
Illud tantum queror , mercurii vsum, si *πτυολισ-*  
*μον* cieat , non medicamentum salutare esse, non  
medicamenti primarii locum tenere, §. XXXXIII.,  
immo vero intelligenti medico plane indignum es-  
se, *ibid.*

IN COMMODA saluationis perillustris van SWIE-  
TEN rectissime depinxit \*\*\*\*. "Oritur primo aegritudo  
„per totum corpus, maior calor, febris, vires incipi-  
„unt prosterni quasi, appetitus minuitur, sitis oritur  
maior;

\* ) Perillustris de ROSENSTEIN, Libr. cit. p. 493.

\*\*) IDEM; Leute , welche venerisch sind, oder von der Liebesseuche  
nicht vællich befreiet worden sind, büssen gemeiniglich in hit-  
zigen Krankheiten das Leben ein.

\*\*\*) Perillustr. de ROSENSTEIN, Libr. cit. p. 494., et qui  
eum ad verbum in his sequitur celebr. PLENCK in *Methode*  
*nova et facilis* cet. p. 53.

\*\*\*\*) In Comment. super Aphorism, BOERHAAVII, Tom. I.  
p. 206.

„maior; post cadauerosus halitus exspiratur ore; gingi-  
 „uae, lingua, palatum, tonsillae, glandulae sub lingua  
 „et aliae vicinae incipiunt tumere, dolere, calere; den-  
 „tes adsurgunt; lingua ad latera et apicem, vbi denti-  
 „bus contigua est in primis, ulceribus albis dolentissimis  
 „ereditur; similiter et pars interior genarum et labio-  
 „rum adficitur; tota facies tumet; labia tumentia retor-  
 „rida fiunt foedo adspectu; tunc effluit viscosus olidus  
 „humor ingenti saepe copia, exulcerans omnia loca,  
 „quae alluit. Durat hoc per plures dies: sensim tunc  
 „minuuntur omnia recensita, exhaustum appetet totum  
 „corpus, et decolor. In quibusdam vel ex suppressa  
 „saliuatione iam incepta per frigus admissum in pri-  
 „mis, vel ex peculiari idiosyncrasia, versus ventricu-  
 „lum et intestina tendit remedii virtus; et similia tunc  
 „in his partibus videntur oriri mala, quae oculis vi-  
 „demus fieri in partibus oris interni. Tunc saeuissima  
 „cardialgia, et tormenta intestinorum acerbissima ori-  
 „untur, alii fluxus aquosus, olidissimus, copiosus,  
 „subito saepe vires posternit, animi deliquia, immo  
 „ipsam mortem producit.”

### §. XXXXVIII.

**PRIMVM** momentum vero, quod in perni-  
 ciem tendit sanandi hominis, in ipsa natura medi-  
 cinae, quae praebetur, positum est. Mercurius  
 sublimatus, quem *corrosum* vocant, mercurius  
 dulcis, praecipitatus ruber cet. XXXXVI., quantum  
 usū constat, \* venena satis fortia sunt: et damna  
emer-

K 2

\* Vid. celebr. VOGEL Institut. Chemiae, §. 558.



emergentia vix ac ne vix quidem ab optimo medico praecaueri singula possunt. Vltro cedam, frumenti spiritum, quo mercurius sublimatus ille soluitur, animanti venenata salia minus noxia reddere, quia oleum vini inuoluit acida veneno imbuta: at enim quum acerrima tamen sublimati salia hominibus, qui infirmo pectore sunt, veneno medicata etiamnum \* cernantur; quum aegri, qui sublimato illo frumenti spiritu soluto quotidie vtuntur, licet mirum quantum dilutae singulae partes sint \*\*) roraciones tamen intestinorum et in membris, id quod vsu constat, sentiant; quum in dicta §. XXXVIII. mercurii sublimati solutione pernicioſa illa metallica salia nihilo feciſus coagententur, \*\*\* atque exedendi inde

\*) Vid. perillustris ROSEN de ROSENSTEIN von Kinderkrankheiten, Edit. celebr. MURRAY, p. 508.

\*\*) In singulas enim, quas aeger haurit portiones, vix quadrans grani de mercurio sublimato cadit, atque semisse granum mercurii sublimati quodque, quod quotidie sumitur, tum quadringenis et octogenis granis seu spiritus frumenti vicia dilutum, tum quater millenis amplius granis seu congio fere (octaua amphorae parte, 7 Quartier) ptisanae ex sarsaparilla et lacte circumfusum est. Itaque singula § grana granis novies millenis fluidorum, quae vna bibuntur, circumdata sunt.

\*\*\*) Id quod ratiocinor varia ductus obſeruatione. Ex. gr. si quid mercurii sublimati soluti paruo atque exili vitro tubulo excipiatur, protinusque repletus tubulus microscopio subiicitur, solutio ea propemodum illunies esse cernitur, proinde ac

inde vim valide adauictam accipient; quum certe solutio mercurii sublimati illius aequa ac mercurius dulcis anceps et dubium medicamentum praebeant, neque tantam in corpore virtutem medicatam praestent, quantam, de qua deinceps dicam, celebr. PLENCKII recens inuenta medicina habet: prouidi omnino medici est, §. xxxix. fugere medicamentum minus certum et peius, quum iam meliora existent. In illis autem medicamentis, quae argentum viuum per se praebent, vbi non satis subacti mercurii globuli sunt, neque a muci floccis tenaciter distinentur, facillime, quae argenti viui natura est, coeunt. Iam vero constat, mercurii viui partes, quae aquae partes volumine sibi aequales grauitate sua tantum superant, quantum numerus 14. excedit 1., longe plura corpuscula, seu guttas, (quas *moleculas* hodie non nulli probe dicunt) aggregata continere, quam guttula aquae ceteroqui mercurii moleculae ratione voluminis externi aequalis. Itaque argenti viui partes, et si ob formam suam forsitan sphaericam continuae obiectae volubilitati sint, per se tamen solidae, et arctius in superficie cohaerent, quam sanguinis guttae, qua-

K 3 rum

ac si pollinis subtilissimi partes fluctuant, breui internallo particularum aliæ aliis accedunt, floccos formantes innatantes subtilissimos, ad tubuli oram quasi flores accrescunt cessim valgiterque breuibus eminentibus spinis.

rum grauitas sub eodem volumine ad 78 *ιδεαγνες*  
 grauitatem BOERHAAVIO auctore est, vt 1: 13.  
 Ergo in molecula mercurii plura puncta contactus.  
 Ergo plures caussae, cur moleculae argenti viui sibi  
 inuicem potius cohaereant, et dum se contingunt,  
 facilis inter se coalescant, quam cum alienis par-  
 ticulis, ob pondus vero grauius repugnant admo-  
 dum, si adhaerere leuioribus debeant. Ergo diffi-  
 cilius globuli mercurii aliis immiscebuntur, innixi  
 autem, nisi admodum tenax fuerit vehiculum, fa-  
 cile excent, et soluta gutta alia consociabitur; quo  
 facto argentum viuum idem in corpore valebit,  
 quod argentum viuum crudum in corpore efficere  
 valet. Nempe bina inde discrimina. *Alterum*,  
 quum argentum viuum ex variis metallis esse possit,  
 et quum raro in tabernis argentum viuum purum,  
 ex minio PLINII, vel quod virginium vocant, re-  
 periatur; non ea solum, in quae soluitur, sed et  
 ea, quibus circumdatus mercurius est, salia facile  
 veneno imbuta admisceri humoribus inquilinis pos-  
 sunt,

\* Id quod experientia cognoscitur, vti in chemicorum scholis  
 discimus. § in cochleari experientiae huic idoneo super igne  
 nee vapido tantisper teneatur, dum euaporatio euadat. Iam  
 si vapores fumidi colore luteo-viridi dilucentur, § aureum;  
 si caeruleo, argenteum; de fusco atque viridi mixti, fe-  
 re Cyprium; si albantes ad arsenici instar, § stanum  
 vulgo vocant; si colore autem subalbido, § plumbum; si  
 tandem lurido, § ex ferro.

sunt, atque sanitatem adeo turbare magis, quam iuuare. Alterum vero est, quod argentum viuum vel in latioribus corporis vasibus disfluat, vel per angustiora delabatur. Vnde tot horribiles Anatomicorum obseruationes.\*

### §. L.

PRAETER ea argentum viuum in vasā forte minutissima propulsū, ea praecipue, quae dilatari non patiuntur, et quae vim cordis minus participant, \*\* quum per se vasculis non adhaereat, et, nisi tum tunicarum elasticarum vi tum mobili va-

forum

\* ) Celebr. BOERHAAVIVS mercurium ipsam cranii *διπλῶν* penetrasse ibique haecesse vidit. Conf. Praef. eius in Editionem, quam curauit, *Aphrodisiaci*, de quo §. xxxvi., p. 66. Praefatio ea etiam tum in gallicum sermonem versa est anno 1736., tum in theodiscam, Bremae, 1737. Perillustris HALLERVS Goettingae in sectione anatomica idem reprehendit in vertebris dorsi, quae a mercurio laceratae digitis friari potuerunt, argenti viui globulis hinc illinc in tabulam decidentibus.

\*\*) Vis ea propellens valde imminuitur circa articulos. Vascula enim, quae ex truncis pullulant quum propter orificia minora quodam modo resistunt, tum vero varie flexa et saepius retrograda angulos opponunt, quos formant, et in tractu suo circa articulos longe lateque circumfusa flexura, qua pergunt, transuerfa accelerantium velocitatem frangunt. Hinc obstacula mercurii, quae facile eum retinent. Conf. WINSLOV *Exposition anatomique*, Tomi. IV. §. 128. et §. 145. Itemque HEN R. ALE. NICOLAI de *directione vasorum pro modificanti sanguinis circulo*. Argent. 1725.

forum cylindraceorum fabrica atque vi cordis, vlt  
terius propelli nequeat, haesitabit, in minimis va  
sis subsistet, vnde spasmodorum materia §. xxvii. et  
xxviii. et circa ligamenta articularis morbi occasio  
§. xi. Atque eo etiam magis haec contingent, si  
ex larga libidinis vsura multa tonicarum fibrarum  
§. xxx. agitatio, ex frequenti agitatione *atovia*,  
§. xxxiii., ex *atovia* praeter naturam neruorum  
debilitas, ex debilitate liquorum defectus, atque  
ex hoc humorum crassitudo, humorum in orbem  
motus hinc illinc deficiens fuerit. Deinde salia illa,  
quae mercurio imbuta vulgo adhibentur, ipsa spas  
mis multam ansam praebere possunt, §. xxxvi., item  
que obstructionibus quum obfirmandis tum nouis  
hinc illinc compingendis vltro inferuiunt. Nouis  
quidem, quia *primum* a salibus parietes vasorum  
irritari §. xxx. et xxvii. possunt; quo facto fibrae  
vasorum tum circulares tum in longitudinem por  
rectae constringuntur, §. xxvii., accendentibus hu  
moribus transitus negatur, id quod quo frequentius  
iteratur, *atovia* subsequitur, §. xxxvii.; hinc vi  
res, quas motrices vocant, deiectae; hinc inertia  
et impotentia decenter transmittendi, quod tran  
fere debebat, quae impotentia OBSTRUCTIO est.\*  
Ex frequentiori autem vasorum irritatione intus ad  
tunicas vasorum saepe tumores suboriuntur, ob  
stru-

\* ) Definitio HAMBERGERI.

structionis caussae miserabiles. *Deinde* vero mercurius et eius salia corpora *specifice*, vt dicunt, grauiora sunt, quibus liquida minutissima facilius inhaerent, demtis autem sanguini subtilissimis liquoribus particulae reliquae arctius cohaerent, vnde *visciditas*, quem ad modum loquuntur, humorum, \* obstruktionis caussa. *Olfirmantur* praeter ea obstruktiones ex pondere mercurii, cuius impetus celeritatem, hinc vim auget, quae si tamen obstaculo remouendo impar fuerit, rigentia magis compinget, obfirmabit, spasmos excitabit, §. xxxvi.

### §. LI.

QVONIAM secundum principia physica argenti viui moleculae inuicem libentius cohaerent, quam cum alienis, globuli mercurii, si hic non satis superque contritus ac subactus fuerit, facilius confluent: quo facto singula, quae modo recensui, argenti viui in corpore detrimenta augescent. Atque haec sunt, ex quibus facile intellectu est, qua ratione *articularis morbus* peruersae curationi §. xxxxi. vitii venerei §. xxxxiii. superstes esse possit. Sexcenta alia quidem sunt, quae quum tritum mercurii usum, tum peruersae curationis genera attingunt; sed plura persequi tum magnitudo voluminis tum festinatio prohibet, vt ad ea transeam, quorum

L caussa

\* HAMBERGERI Physica, §. CLXV.

causa haec scribere potissimum institui. Post triplicem illam rationem §. xxxxvii., qua argentum viuum hodie συφιλητικοις dari coepit; post medicamentum istud p. 71, quod ex perillustris van SWIETEN \* commendatione frequentauerunt pluri; post singula illa venerei vitii medicamina, quorum celeberrimus ASTRVC \*\* locupletissimus auctor exsistit, tandem vir celeberrimus IOSEPHVS IACOBVS PLENCK, chirurgiae atque artis obstetriciae Vindobonae Magister dexterissimus, aduersus venerea vitia medicinam reperit singularem et propriam. Post varia experimenta, quae instituere monitu adductus est celebri. PLENCKIVS integrissimi sui doctissimique MARIERRI, et quae in libello iam iam laudato\*\*\* ordine recenset, argentum viuum cum gummi Arabico miscuit, conterendo ista in mortario lapideo per horae quadrantem. Adfusit iterum iterumque parum aquae viuae et conterere perrexit: quo facto gummi subinde liquescens mulsum tandem factum est, argentum viuum vero subactum plane et oculis subductum. Suffuso rursus aquae viuae pondo diluta quidem massa est, colorem referens leucophaeum, argentum viuum

\* Conf. Comment. de rebus in scientia, nat. et medic. gestis, Tom. V. p. 717.

\*\*) De morbis venereis, (Edit. Parisiens. 1736.) p. 104 - 150. item p. 346 - 397. p. 410 - 424. Itemque p. 425 - 564. passim.

\*\*\*) Pag. 4 - 17.

viuum tamen disparuit. Lagenae haec indidit, et seposita quiescenda curauit. Breui post interuallo mercurii non nihil in fundo subsidit: attamen globulos mercurii singulos in tantum a gummi circumdatos PLENCKIUS vidi, ut singuli in vnum redigi pro more suo non possent. Vel leniter autem agitata lagenae sedimentum adscendit, intimeque iterum aqua permisceri coepit. Praeter ea plurima alia etiam de hoc sedimento experimenta per longius temporis spatium instituit, quae in laudato libello \* relata legimus.

### §. LII.

ATQVE ex his hoc factum tandem est medicamentum, cuius insignem συφιλητικοις medendi rationem usus frequens comprobauit.

Rx. *Mercurii viui depuratissimi 3j.*

*Gummi Arabici 3ij.*

Conterantur binae in mortario lapideo, perfusa aquae Fumariae dimidia cochlearis mensura, tantisper dum mercurius omnis abiit in mucum.

Plene subactis adde sensim insuper conterendo

Rx. *Siripi Kermesini 3j.*

*Aquae Fumariae 3vij.*

D. S. In singulos dies binae cochlearis mensurae, altera *mane*, altera *vesperi*.

L 2

Bero-

\* Conf. idem PLENCKII scriptum p. 22-48.



Berolini in amplissimo regio nosocomio haec medicina cito inualuit, vtilitate sua in morbis venereis longe commendatissima. Excellentissimi autem medicinae in nosocomio moderatores medicamentum istud non nihil immutata ratione perficere curauerunt, quae fere sequens est.

*Rx. Mercurii viui depuratissimi 3ij.  
Gummi Arabici 3j.*

Conterantur bina in mortario lapideo, perfusa subinde *rosacea aqua*, tantisper dum mercurius omnis abiit in mucum. Satis superque subactis addatur insuper conterendo

*Aquae rosaceae 3xvj.*

*D. in ampullam vitream: S. In singulas doteis, mane alteram, alteram vesperi, binae cochlearis mensurae.*

Atque equidem ipse incredibilem paene huius medicamenti efficientiam in centum amplius aegrotis feliciter, iisque sine omni molestia remedio illo sanatis, grata in optimum PLENCKIVM pietate admiratus sum, eamdemque eius etiam virtutem nuper expertus in arthritica, §. III., de cuius curatione iam dicere adgredior.

## SECTIO

## SECTIO II.

S P E C I A T I M  
CVRATIONEM ARTHRITICAE  
E X P O N E N S.

## §. LIII.

**V**ENIO itaque ad curationem §. vii., qua articularis morbus arthriticae venereo vitio superstes feliciter sanatus est. Cognitum tum plenius est, arthriticam illam ex venereo morbo vitiōse se habuisse, atque equidem hac de re tam certior factus, quam qui longe certissimus: singula tamen argumenta enarrare non opus est. Disquirenti mihi vero subtilius praesentis morbi caussas ex iis, quae supra §. xxxii.-xxxvi. et §. xvi. generatim exposui, occurrit nulla, nisi venereum vitium male curatum, §. vi. et §. xxxxii. Quum igitur exploratum esset, feminam aegrotantem arthriticam esse §. vii. collato §. viii., et vitio eam antea venereo laborauisse, ex cuius peruersa curatione morbus articularis quum oriri potuit, tum vero maxime probabiliter obortus vere est, et si vel non inde natus foret, sine dubio tamen, quod Sectione deinceps III. dicetur, remediis iisdem illis, quae a celeberrimo PLENCKIO ac-

L 3

cepi-



cepimus, morbum item depelli posse; ego feminam PLENCKIANA methodo sanandam suscepi. Sed quo eo tuitius singula peragantur, primum aluum purgandam iudicau. Dedi hac mente catharticum sequens,

*Rhabarbari 3j.*

*Cremoris Tartari 3j.*

quorum comprobatae virtutes medicatae satis superque in vulgus cognitae sunt. Atqui haec cathartica purgandae alio abunde satifactura esse propter ea exiftimau, quod a medicis, quos antea femina habuit, purgatio ea iam dum satis cauta erat. Transii igitur ad argenti viui vsum internum, imperans ad modum Berolinensium mercurii viui *drachmas duas* cum *vncia una* gummi Arabici in mortario lapideo subigendas, diligenter vero subactas *decem et sex vnciis* aquae rosaceae rite diluendas, de quibus diebus singulis tum mane tum vesperi binas cochlearis mensuras aegrotans hausit. Solutionis huius dimiam fere copiam femina biberat, quum doloribus, quibus antea lumbi praesertim et caput angabantur, per totum paene corpus valde vexari coepit, quos praeter naturam *dispergitas* subsequuta largior est. In vrina ad digitorum trium altitudinem materia subsidit cretacea, ei persimilis, quae supra §. xxii. et xxvi. cum rationibus suis §. xxxviii-**xl.** descripta est.

B E R O.

BEROLINENSIVM autem non nihil immutatam a  
celebr. PLENCKIO institutam medendi rationem pro-  
pter ea praferendam esse duxi, quod tali proportione  
argentum vituum solito potius subactum, neque sedi-  
mentum in fundo lagenae vñquam cernitur. Aqua  
quidem, quaecumque est, perfundi satis contrita  
possunt, modo ne impura siet. Rosaceam tamen praef-  
stare arbitror, quum purior sit et saporem bene tem-  
peret. — Materia, quae cum vrina feminae per re-  
nes percolata est, quin eiusdem naturae fuerit, cuius  
vrinam cretaceam generatim esse dixi §. xxxviii. nullus  
dubito: atque hinc adeo macie ac tabe tantopere renu-  
atum esse feminae corpusculum §. IIII. puto. Cogni-  
tum enim ex Physiologiae principiis, quo copiosior  
alia praet aliis praeter naturam secretio in animante ex-  
sistit, eo parcus turbato ordine et laesa secretionum  
aequabilitate alios animantis liquores suggeri naturales.  
Sed his deficientibus corpus emacescere quid mirum?  
Detrita itaque ossibus sensim terreae materiae copia so-  
lito largiori, natura paullatim replere vacua, et fusius  
adferre offensis ossibus nutrimenta adnisa est. Atqui  
id, quod praeter naturam decidere ossibus coepit, fa-  
cilius in hac aegrotante restitui adhaesione et accretio-  
ne recenti potuit, quoniam, quum pedibus non vale-  
ret, toto die ossa quiescebant. Tanta copia vero ter-  
reae materiae ad ossa aduecta muscularum fibris dene-  
gata est: ex quo corpus non potuit non emacerari.

## §. LIII.

Ea mihi quum nuntiaret femina, abstine-re aliquantis per ab argenti viui vsu ipsam iussi, et ne doloribus adauctis tabesceret, et vt virium imbe-cillitati consulerem. Quo tamen detritae corpo-ri materiae exitus paterent liberi, et vt simul com-pressa menstrua, quantum sine noxa fieri posset, ex-cierem, interim diaphoretica dedi, et quae pro mensium fluxione prouocanda forent. In illum fi-nem *tincturam* adhibui, quae ex *Tinctura antimonii acri* et ex *Essentia succini*, *pimpinellae* et e *Tinctura item Martis*, quam *aperitiuam LVDOVI-CI* vocant, composita erat, in singulas *doseis* tri cenas guttas. Pro menstruis educendis vero dedi *radices ellebori nigri*,\* *pimpinellae albae*, *rubiae tinctorum*, *caryophyllatae* et *vincetoxicis*. *aa*; cum *herbis melissae hortensiae*, *artemisiae rubrae*, *pulegii hor-tensii*, *rorismarini* et *serpilli vulgaris aa*, et *flores calendulae*, e quibus decocto vti quotidie debuit femina. Quum illius remedii, quod *tiucturam* di-cunt, tum propria decocti huius virtute finem ego consequtus sum longe exoptatissimum. Acria anti-monii salia mucosa noxia amplius dissoluere, ful-phureae vero atque oleosae eiusdem partes sanguini-

nis

\* Quae quondam solae sufficere aduersus articularem morbum credebantur. Conf. ARETAEVUS de curatione morborum diuturn. L. I. c. 12.

nis in orbem motum salutariter augere, vtraque subtilissimos exitus aperire; praecipue succini falia vasa leniter stimulare, succinique spiritus neruorum fibras insigniter fouere; atque singula coniunctim cum pimpinella et iis, quae *LYDOVICI tincturam* ingrediuntur, quum acribus tum soluendi virtute apprime praeditis, praecipue vero volatilibus subtilissimis cinnamomi particulis neruinas fibras facile grateque illicientibus corpusculum fractae feminae et iam dolores misere fouens bene excitatum refecerunt, atque naturae sine ullo detrimento suppetias venerunt. Sudores apposite subsequuti sunt critici, vrina per totum tempus maxime cretacea; dolores subinde rariores, minores, quibus leuata tandem aegra omnibus est. At vero menstrua ciere data medicamenta nondum valuerunt; neque nodi §. IIII. abierunt, collum autem circa vertebrae ex improuiso molliter tumidum, cum sat magna tamen feminae molestia.

### §. LV.

H<sub>VIVS</sub> primum tumoris caussae extrinsecus cantharidum statim remedio succurri, quorum auxilio grandis copia materiae exiit modice glutinosa, coloratae, acris, quae quum exitum inuenisset, nullus amplius in collo vel tumor vel dolor, verum caussa sublata et naturae auxilium submini-

M

stra-

stratum diligenter est. Sed ut menstruorum quoque  
vitio mederer atque nodos deducendos curarem,  
iterum de mercurii solutione Berolinensium mensu-  
ram §. LII. dedi. Ex quo octo dierum spatio nodi sub-  
trahi oculis , tandemque , quanti quanti fuerunt,  
deflorescere planeque consumi coeperunt, et per  
vrinam aequae ac sudorem materia eorum abire.  
Mensium fluxio naturalis pertinacissime latere, mer-  
curii tamen insuper vsu , eoque solo , paucis die-  
bus initium primum fecit. Ciendae adhaec eius-  
dem gratia intra ima pedis incisi venam , missoque  
octo vnciarum mensura , sanguine femina tum *tin-*  
*etrae* imperatae reliquias sumfit, ex quo mox na-  
turalis mensium fluxio sine vlla amplius offensione  
rediit, atque femina ante paucas hebdomades, im-  
mo per annos duo amplius §. IIII. articularis mor-  
bi doloribus misere macerata , quae nec pedibus  
valuit, neque victum sibi quaeritare labore quopi-  
am poterat, fana facta est. Sublata feliciter mor-  
bi caussa §. XII. et §. XXXII., symptomata subinde  
cessauerunt singula, atque sumtis paucis corroboran-  
tibus sanitatis omnino integritatem ex voto adeo  
recuperauit, vt etiamnum, dum haec scribo, ala-  
cris sit, incolmis, neque infirmam valetudinem  
fentiat vllam.

## §. LVI.

## §. LVI.

QVEM AD MODVM vero in curatione hue  
usque, quaecumque fuit, ita in hac cum primis fe-  
mina CELSI\* effati veritatem expertus sum: " in  
,, nullo quidem morbo plus natura sibi vindicare  
,, quam ars, ars quam natura potest. ,," In hac  
enim non per vrinam solum et per sudores inuisam  
ac detritam corpori materiam natura expulit, at-  
que sic votis medici mirum quantem respondit, ve-  
rum *diaegesia* quoque aegrotantem feliciter arri-  
puit, quam equidem nullo modo vel fistendam vel  
continendam esse duxi. Aduersus tornina autem,  
quibus nimis vexabatur femina, et quae quin a ma-  
teria morbi intestina acriter depascente orta sint,  
non dubitaui, rhabarbarina adhibui, quibus ex sen-  
tentia etiam eorum curatio processit. Libentissime  
equidem simplici huic attamen prosperrimae curatio-  
ni addi varia potuisse cedam, tum extrinsecus, ex.  
gr. praestantissimum celeberrimi HOFMANNI lini-  
mentum neruinum,\* balnea, aliaque, tum inter-  
ne

M 2

\*) De medicina, Libr. IIII. c. I.

\*\*) Habet hoc

*Aqua Anhaltinae* 3ij.*Balsami Peruiani* 3ij.*Theriaceae veteris* 3j.

Quibus rite digestis percolatisque addenda

Effen

ne varia lactis genera, pro ordinario potu serum lactis cum succo citri vel cremore tartari, aut tam mandorrum succo cet., pro cibis feminae iusecula ex pullo gallinaceo, carnem vitulinam cum nasturtio aquatico \*\* cet., acidulae mineralis pondo in singulos dies quaterna vel terna, aut non multo fecus epotanda, et quae sunt reliqua. Per miserabilem autem feminae condicionem §. v. tam pretiosis vti haud licuit.

## §. LVII.

**S**VNT, qui se tutos fore ab articularis morbi grauitate somniant, iniqui medicis et pertinaciter illis infensi, qui diuersis quasi itineribus fugam quaerunt. Alii horum soli bona diaetae salutem committunt, lacte viuunt et decoctis ex foliis *agrifolia*, mane *Essentia aristolochiae* vtuntur cum frequenti per diem theae Chinensis sorbitione, vesperi pulueres sumunt ex nitro et salibus mediis cinnabari compositos, turgidum membrum frequentius frixandum curant, prouideque cibis vti cauent, qui alli-

*Essentia croci*  
*Castorei*  
*nuciferae, aa. 3j.*  
*Camphorae 3j.*

**M. F.** linimentum, quo dolentes turgidae partes iterum iterumque inungendae sunt. Conf. HOFMANNI Therapia Specialis, p. 396.

\*\*) Conf. ASTREV de morbis venereis; (Edit. Paris.) p. 390.

allicere accessionem morbi forte possent, §. xxxvi.  
 Hi si didicerint, dum cauſas proximas, dum occaſionem ſolum vitant, quae alias accelerare morbum potuifet, ſe fomitem tamen morbi §. xvii. et potiores eius cauſas interim fouere, magis de radicibus euellendo malo, quam de amputandis ſolum eius fibris cogitarent, quippe quod fundamentum et radices in corpore habet altiores. Sunt alii, qui ſe empiricis tradere malunt; alii turbae medicorum confidunt, et turba pereunt. Evidem non negauerim, eſſe empiricos, qui propria quaepiam et peculiaria aduersus hunc vel illum morbum remedia poſſident, dummodo in aprico foret, quis ex nūgigera ex futore medicorum phalange fortunatus ille Themiso fit. A PARACELSO empirici arcanum aduersus articulorum morbum accepiffe videntur, quod, niſi me omnia fallunt, eadem illa mercurii ſolutio eſt, quam celeb. PLENCK nuper reperit, et nobis ingenua liberalitate tradidit: certe coniectura haud improbabili ariolor, atque auſtoritate in ſuper perilluſtris van SWIETEN \* nitor, PARACELSO remedium arcanum fuſſe aduersus articularem morbum et cunetas eius species proprium, de cuius virtutibus ita diſerit, \*\* et item philoſophus ille per

\* Conf. Comment. ad Aphorism. BOERHAAVI, Tom. III.

p. 341

\*\*) De hoc arcano hic illic in Operibus suis diſerit THEOPHRA-

per ignem, HELMONTIVS\*, cui arcanum PARA-  
CELSI cognitum fuit, talia de isto refert, quae  
certe Mercurii solutioni PLENCKIANAE plane re-  
spondent.

## §. LVIII.

SED missos faciamus empiricos: in transitu  
autem obseruationes non nullas subiicere licet,  
quae curationem pertinacissimi huius morbi praeci-  
pue attingunt.

- I. FORTIORA cathartica remedia turbant morbum, non  
depellunt. Prouidi medici est cum celebr. HOFFMAN-  
NO\*\* vel manna vti vel rhabarbara cum cremore tartar-  
ri. BOERHAAVE. \*\*\*
- II. IN articuli morbo vago praestat saepe sanguinis mis-  
sio, qua fit, ut inuisa materia ex loco quopiam deduc-  
atur minus commodo. MEAD. † Regula autem  
nulla valet, nisi vbi rationes adsunt — *incommodus lo-*  
*cus, πληθωρη*, cet. Nam quando circa articulos solos  
ludit

PHRASIVS. Ex. gr. in Archid. Libr. IIII. de *quinta essentia*  
In Fragm. libr. II. de vita longa c. I. "Erstlich soll ein jeder  
„ podagramischer gnugsamlich und vollkömmlich purgiret  
„ werden mit dem *Arcano carallino*, durch welches der po-  
„ dagrische Fluss dermasen ausgetrieben wird, dass das Po-  
„ dagra nicht mehr statt haben kann cet." Huius arcani in  
alii quam plurimis locis mentionem facit.

\* In Operib. Sectione; *ignotus hospes morbus*. Item in Capit.  
*Vulpe viuentium morbus*, §. 25.

\*\*) Medic. ration. et System. Tom. IIII. Part. II. sect. 2. c. XI.

\*\*\*) Aphorism. de cognoscendis et cur. morbis, CXXIX.

†) Monit. et Praec. Medic. p. 201.

Iudit malum, sanguinis detractio valde noceret. S.  
DENHAMVS.\*

III. OPTIMA iustae perspirationis adminicula articulo-  
rum morbum curandi subsidia maxime egregia sunt.

III. CORTICIS Peruviani grana aliquot et manæ et ve-  
speri sumi ab arthriticis salutariter possunt.

V. SALVTARITER quoque arthriticus frequentare pote-  
rit vel *Alcabeſt GLAVBERI* \*\* mane cum iusculo vitu-  
lino, parca doſi; vel *salem volatilem cornu cerui* \*\*\* vel  
*SYLVII volatilem salem oleosum*, neque vero ita para-  
tum, vti Pharmacopœa Wirtenbergica \*\*\*\* docet, ve-  
rum subiecta ratione impetrandum,

*R. Salis tartari*, ℥ iiij.

*Salis ammoniaci*, ℥ i.

*Spiritus vini*, ℥ iv.

*Aquæ. q.s.*

Haec soluta et satis mixta rite distillentur per retortam  
vel Alembicum: spiritus impetratus ter quaterne de  
capite mortuo suo cohobetur. Impetratis vero, si liber,  
*olea aetherea aromatica* addi possunt.

VI. ARTHRITICVS ſuccaro lactis etiam recens parato  
utiliter fruetur.

VII. IN languore nimio vini Canariensis haufus arthri-  
ticó nectar erit.

### VIII. A-

\* ) Tract. de Podagra, p. 560.

\*\*) Excellentiss. VOGEL Instit. chemiae, §. 583.

\*\*\*) Conf. tamen summi litterarum ornamenti celebr. atque illu-  
stris BEIREISII disquisitio medicamenta inania in medici-  
nam peruerſis opinionibus recepta lustrans, p. 75.

\*\*\*\*) Parte II. p. 157.

VIII. ACRIS illa ac depascens materia, quae articularis morbi somitem continet, non eosdem in omnibus existit amat. Eiicitur in aliis saliuatione, in aliis cum vrina, per sudores, διαγενούται, in aliis fluxione alui, in aliis per αίμογειδες, non numquam vomitione naturali \*; in aliis per suppurationem, non numquam per tussim humidam; purpura tandem, ceterum KLEIN. \*\*

VIII. DEDUCENDI subinde materiam morbi per loca, vbi exitus patent naturales, remedium maxime eximum fertur sequens. \*\*\*

*Ex gummi Ammoniaco, quod acetō solutum est,  
Sapone Alicantino,  
puluere squillae parca dōci*

Fiant pilulae.

#### AD HAE C

*sulphur antimonii aurat. ultimae praecipit. \*\*\*\**

*Lixiuium alcal. fixum maxime concentr.*

*Oleum amygdal. dulcium recens express.*

Misc. intime, ut fiat solutio.

Ade Tinct. tart. †

*ex quibus Essentia redibit acerrima.*

#### X. ENO-

\*) Cuius memorabile exemplum perill. van SWIETEN refert in Comm. super Aphorism. BOERHAAVII, Tom. IIII, p. 294.

\*\*) Interpr. clinic. p. 21. 22.

\*\*\*) C. F. HVNDERTMARK de vrina cretacea, p. 32.

\*\*\*\*) Excell. VOGEL Instit. Chemiae, §. 752.

†) VOGEL Instit. chem. ibid.

X. ENODATIVS vero sulphuris aurati antimonii eximius ac comprobatus in morbo articulare vsus a D.D. BALERSTED \* demonstratus est.

XI. NEQVE vero dubito, fore, vt eximum illud resoluenti remedium, *terra foliata Tartari* in articulare morbo virtutes suas praefet incredibiles, licet, quantum constat, vsus eadem in hoc morbo huc vsque sit nemo.

XII. SAPIENTIS medici esto, vehementissimam morbi excandescientiam atque intolerabiles eius dolores probe discernere, nec salutiferum morbi dolorem, qui sub noctem contingit, et saeuitiam eius a medico lenientiam commiscere. Non nisi haec, et si aegre, a medico compescenda.

Rc. *Liquoris anodynī mineralis HOFFMANNI 3j.*

*Essentiae Castorei,*

*Laudani liquidū SYDENHAMI aa. 3j.*

M.D.S. Alle 2. oder 3. Stunden 40. Tropfen.

XIII. IN angina arthritici

Rc. *Crystall. mineral.*

*Sacch. crystal. aa.*

M.S. Teneatur in ore 3j. tantisper dum sanguis redundat. Haec expiatur: et iterum iterumque remedium idem repetatur.

XIII. IN ὄδονταγεα oleum Caicuti remedium longe praestantissimum.

N


XV.

\* In peculiari disquis. de *sulphuris aurati antimonii eximio vsu in arthritide.* Helmst. 1759.

XV. PRAECIPITATA lympha a salibus, quae multum  
alcali continent, soluitur: soluta mercurialium ope ex-  
pellitur.

XVI. SVA cuique *αρθρίτιδος* speciei peculiaris curatio, sic-  
uti sua cuique caussa. Haec caussa a prudenti medico  
reperienda atque eliminanda. In singulis tantumque  
non omnibus mercurialia cetera omnia antecellere me-  
dicamenta vsu constat medicorum longe experientissi-  
morum.

QVM usus etiam satis superque docuerit, in articulari  
morbo, praesertim venereo, alcalina remedia esse omnino salu-  
taria, caussam morbi maxime acidum sit §. XIII. necesse est.



### SECTIO III.

#### DE VI ARGENTI VIVI EFFECTRICE SANATIONIS IN ARTHRITICIS PRAESERTIM VENEREIS

Quatenus quum ex natura sua tum praecipuis  
non nullis obseruationibus lucidius demonstrari posse  
videtur.

#### §. LVIII.

**E**TENIM mecum ipsi cogitanti, qua ratione  
sua cuiusque medicamenti virtus et efficientia ad-  
uersus morbum sit demonstranda; quaerenti enim  
mihi ipsi, quid sit, quod praesertim PLENCKIANA  
me-

methodus plus valeat ad venereum vitium depel-  
lendum salibus metallicis, argento viuo inuncto,  
cet.; quaerenti mihiptet tandem, vnde tanta ac propria  
ādeo mercurio viuo p̄ae ceteris remediis omni-  
bus in curanda lue venerea vis atque efficacitas sit,  
quod a celeberrimo ASTRVC\* copiose atque eui-  
denter demonstratum, atque auctoritate per illu-  
stris van SWIETEN\*\* maxime euictum est; pon-  
deranti mihi vero primum argumenta ASTRVC I,  
\*\*\*deinde a PITCARNIO\*\*\*\* disputata, tum celebr.  
PLENKII ὑποθεσεις; verentique, ne temere vel  
falsae rei vel non satis cognitae adsentiar, eo min-  
us committendum videtur, vt fallar, quo turpi-  
or quā omnibus in rebus temeritas in adsentiendo,  
tum maxime in eo loco est, in quo de vi medica-  
menti, per quod sanitati detimenta inferri maxima

N 2 possunt,

\* De morbis venereis, Libr. II. c. VIII.

\*\*) "Hoc saltem patet, argenti viui vsum, siue per saliuales du-  
,, chis siue per aluum educantur humores, dissoluere omnia,  
,, attenuare, diuidere. Sanissimus enim homo, opina cor-  
,, poris pinguedine nitens, incantus dum argentum viuum  
,, ad curandam scabiem corpori adfricat, validissimam pas-  
,, sus fuit saliuationem per viginti dies, totus pallidus et e-  
,, maciatus emersit, toto sanguine sic dissoluto, omni pin-  
,, guedine attenuata et educta de corpore." Tom. I. Com-  
ment. super Aphorism. BOERHAAVII p. 207.

\*\*\*) Libr. cit. Libr. II. c. VIII.

\*\*\*\*) In diff. de caussis diversae molis, qua fluit sanguis per pul-  
monem cet. p. 37.38,

possunt, iudicandum est. Plurima quidem medicamenta usus docuit, et " mirari licet cum CICE-  
" RONE; quae sint animaduersa a medicis herba-  
" rum genera, quae radicum ad morsus bestiarum,  
" ad oculorum morbos, ad vulnera; quorum vim  
" atque naturam ratio numquam explicauit: *utilitate*  
" et ars est et inuentor probatus. Atque ita ex-  
ploratum quoque habemus, *mercurium praे medicamen-*  
*titis aliis omnibus aduersus venerea vitia efficacissi-*  
*mum esse et proprium remedium.*

§. LX.

RATIONES vero, quare medendi metho-  
dus, quam celeb. PLENCK primus docuit, aliis antecellat, enucleandae subtilius esse videntur  
primum ex *ta iδεαργυρες* natura per se considerata.  
Deinde ex propria *gummi Arabici* virtute, quatenus  
per se consideratur.

Porro ex vi conterente.

Tum ex intima argenti vii cum *gummi Arabicō* conian-  
tione.

Praeter ea ex *humoribus corporis*, quibuscum, miscetur  
medicamentum, et per quos transit.

Naturalis quoque in corpore caloris atque *actionum natu-*  
*ralium* ratio habenda:

*Adhaec ceterorum medicamentorum, quae una propi-*  
*nan-*

\*) De diuinat. Libr. I. c. VII.

nantur: ex. gr. decocti sarsaparillae, cicutae, balneorum\*  
balsami Copaiuae\*\*, cet.  
Respicienda insuper sunt *vasa corporis*, quae permeat mer-

curius.

Tandem natura morbi, qui mercurio depellitur, enoda-  
bit cetera.

### §. LXI.

QVODSI singulorum horum momentorum  
primas caussas cognitas exploratasque haberemus,  
de argenti viui virtute certissima nobis esse cogniti-  
o. CERTISSIMVM enim, seu *complete certum* est,  
cuius rationes omnes ac singulae nobis constant.  
Contra ea OPINIO est, si quid cognoscimus, cu-  
ius veras caussas non perspicimus. *Opinio praeiu-*  
*dicata* autem vera essa potest, etiamsi rationes no-  
tae rei non intelligantur ab eo, qui opinione duci-  
tur. Auctoritas in re medica plurimum valet: im-  
mo vero contra *auctoritatem* vincendi forsitan studio  
iudicasse itidem turpe est. Attamen non commit-  
tamus, vt auctoritati ratio, vt opinioni confirma-  
tae veritas et natura ipsa cedant. Opinatio non  
decet virum, qui, quod credit, scire debebat.  
,, Est quaedam laudabilis praestantium virorum  
,, imitatio, et bene vel ab hoste discitur, quod re-  
,, cte monet, vel agit. Est et imitatorum caecum

„ pe-

\* ) Perillustr. ROSEN de ROSENSTEIN von Kinderkrankh. p.  
498. sq.

\*\*) Conf. PLENCK in libello cit. p. 67, 68.



„pecus” magnorum virorum sequax turba,  
quae plus plusque *autōs* *ēphā* sectando non ultra  
rudimenta medicinae adfurgit. Mens sapientis me-  
dici sen per exquirendis excogitandisque notis veri  
alitur, semperque cum oblectatione solertiae an-  
quirit, ut ipsa videat, atque cohibeat et ab omni  
lapsu contineat temeritatem, quae tum esset exitio-  
sa, quum aut falsa aut incognita medicamenta sine  
ulla dubitatione approbaret: neque enim hoc quid-  
quam turpius in medicina esse potest, quam cogni-  
tioni et perceptioni adfertionem; temerarium usum,  
approbationemque praecurrere. Sapientem medici-  
nae cultorem haud fugit, quantum sciat et quantum  
nesciat; intelligit ille, de quibus habeat scientiam,  
de quibus nihil sciat, et quarum ignorationem haud  
effugiat mortalium quisquam. Si quando ipsi  
vitereos rei caussas perspicere non contingat, INCER-  
TA seu ea, quibus vix quaedam veritatis notae  
insunt, non nisi timide atque caute sequitur. PROBA-  
BILITER tamen CERTA, quorum rationes quidem non  
omnes, plurimas tamen et potiores cognoscimus,  
in medicina, quem ad modum in omni vita, perma-  
gni momenti sunt. Fugimus autem eam probabi-  
litatis ideam, quam Logici nostrates vulgo sectan-  
tur, qui probabile dicunt, quod apud Anglos  
*analogismus* est, quum ex mero casu adsequi pro-  
babiliter verum non dubitant, quum ex eo, quod  
ple-

JACOB. BAVM GARTEN Apodiætica, §. 504.

plerumque sit, quid futurum sit colligunt. Hi vmbrae consequantur probabilitatis: nos caussas quaerimus; et ex ratione, quam numerus atque pondus caussarum, quas exploratas habemus, ad eas habent, quae cognoscenda omnes ab eo essent, qui scire rem complete mallet, nos efficiamus, quodnam probable sit, quod minus.

### §. LXII.

EXPERIAR, quid valeant argumenta, si diligenter etiam atque etiam vires singulas cum viribus omnium, quae in celebr. PLENCKII medicamento coniunctim praesto sunt, comparauero. Conterendi ope argentum viuum in minimos subinde globulos diuellitur. Singulae mercurii moleculae a gummi Arabici glutinosis et compactis subtilioribus filis includuntur; separatas singulas crassa gummi materia tenaciter complectitur, nec dimitit illa facile retentam villam. Gummi praeter ea argentum viuum aptius per vasa promouebit, quum adhaerere parietibus vasorum possit, atque tubularum adeo legibus *υδροσατικος* apprime accomodatum existat, vehiculumque mercurii per corporis partes optimum sit. Quae quidem quum ex concretionis actione, tum maxime faciliter experimento luce clariora redduntur. Diligenter obtrui argenti viui depuratiissimi 3*jij.* cum gummi Arabici 3*jij.* guttu-

❧      ❧      ❧

guttatim addendo parum rosaceae aquae. Satis permisisti tubulum vitreum admoui cylindraceum diametri per exigui. Dicto ocior introiit mucus iste praegnans. Ex quo tubulum ad fenestras patentes radiato e regione soli expositas , coniectisque in eum oculis quasi bullulas hic illic videre longe minutissimas , microscopii autem ope aperte globuli mercurii viui ad oram tubuli cernebantur, singuli distincti interie<sup>c</sup>tis glutinosis filis. Tum tubulum subie<sup>c</sup>tis prunis non nihil incalescere curabam ; ex quo mercurii globuli adscendere, glutinosum gummi liquefcere, moleculae tamen magis magisque a glutinosis particulis circumvolui, neque illa perturbatione confluere, verum vndique tenaciter distribui: et, quamuis continua guttularum argenti viui series supernataret, priuae tamen quaeque distentae , a se inuicem disceptae, interuallis singulae licet minutissimis interie<sup>c</sup>tis cernebantur. Idem ego iterum iterumque variis tubulis obseruando cognoui.

### §. LXIII.

**A**TQVI inde sequitur.

- I. C E L E B R . PLENCKII medicinam , quae per se quidem salia nec complectitur sublimati, hinc neque detimento eius inferre potest, §. XXXXVIII. , in humoribus magis distribui, quam nocua illa salia §. cod.
- II. E A M D E M medicinam vehiculi sui ope ad adhaerendum penetrandumque aptiorem reddi, §. L.

III. Ne-

III. NEQVE obstruktiones adeo creare posse, eas tollere,  
§. eod., in primis si alia addantur medicamenta insigni-  
ter resoluendi virtute praedita.

III. Si ab his discessero, argenti viui medicata vis omnis  
in ipsa eius natura posita mihi esse videtur. Sed non  
abstrusa equidem philosophiae corpuscularis \* elementa in-  
dagabo. Nam quid ad me argenti viui monades et  
puncta physica? *Φανερα* imitantur minima, quae  
omnem oculorum aciem fugiunt. Atque ex forma,  
quae oculis cernitur, nobis quin ratiocinari de atomis  
licet mercurii, non esse videtur, quod dubitemus.  
Videmus vero FLVIDVM esse argentum viuum, id  
est, aggregata adesse corpusculorum, quae per se qui-  
dem solida sunt et forma verisimiliter ad instar sphæri-  
corum, continuae tamen obiecta volubilitati. Fluidum  
istud esse constat ex regno minerali semimetallicum,  
*siccum mineralēm* \*\*; fluidum, quod præ ceteris  
singulis telluris nostræ corporibus fluidis maxima præ-  
ditum est grauitate, quae ad aquam relata viuam hu-  
ius grauitatem tantum saltem superat, quantum 14. ex-  
cedunt i. Pondus argentum viuum tertium ab auro,  
secundum a platina possidet. Corpus in minimis pun-  
ctis suis adeo compactum tactioñis sensu non percipi  
non potest frigidum. Nouimus quoque, immo vero  
rationes etiam habemus, quam ob causam argentum  
viuum metallis solidis libentius arctiusque adhaereat,  
quam alii corpori stabili, ex. gr. animantis vasi, cuius

O

in-

\* A. G. BAVM GARTEN Cosmol. §. 425.

\*\*) Celebr. VOGEL Instit. Chemiae §. 30. Item HAMBERGE-  
RI Physica, §. 377.

interualla et foramina inuisibilia multo maiora, tonus  
debilior, §. xxx. xxviii, specifica autem, vt dicunt,  
grauitas multo infra metalli grauitatem est. Ex quibus  
intelligitur quoque, quare leuiora illa non humectet  
mercurius, quam ob caussam igne subiecto adscendat,  
immo vero qui in auras abire et corpora, quibus li-  
bentius infidet, deserere possit, et cur in vapores re-  
solutus subtilissimos quibusuis etiam adhaereat. Pon-  
dus itaque, mobilitas et natura fluxa cum istis, quae  
ex his consequentia sunt, ea sunt, ex quibus expli-  
canda medicata mercurii virtus videtur.

### §. LXIII.

**V.** SIVE itaque extrinsecus inungatur mercurius metho-  
do PLENCKIANA\*, in reticulata cute foramina inue-  
niens, vasa resorbentia aperta, quae penetrat gummi  
Arabico inuolutus, mouebitur ex pondere suo celerius,  
et massâ sua vasa dispandet, circulatim fibras irritabit §.  
XXX.; irritatae fibrae constringentur., §. XXVII.,  
constrictae mercurii globulos prorsum prement, do-  
nec loca petat, in quibus materia morbi vigens later,  
vbi actione vasorum mercurius magis attenuatus humo-  
ribus corporis inquiline intime coniungitur, vbique a  
gummi suo circumdatus, mobilitate, qua viget, quae-  
que fortius intrare valet, atque quum resoluendi ideo  
vim adipiscitur\*\*, tum facilius modo hinc modo illinc  
exire

\* Conf. Methodus noua et facilis argentum viuum exhibendi,  
p. 69.

\*\*) Conf. perillustr. BÜCHNERI diss. de virtute resolvente mer-  
curii viui.

exire denuo corpore potest.

VI. SIVE etiam ore hauriatur mercurii solutio, primum  
a saliu humectatur gummi, a gummi mercurius, de-  
inde in ventriculo liquore perfunditur gastrico, magis-  
que contritum succus excipiet pancreaticus, tum bilis;  
donec in lacteas penetrat mesenterii venas argentum  
viuum, corporis humoribus abunde atque eo potius  
mistum, quo arctius cum Arabico gummi cohaeret.  
Et quum gummi Arabicum ad lymphae naturam pro-  
xiime accedat, atque mercurius a gummi Arabicum disti-  
neatur optime, arcteque contineatur et peruehi in  
aqua possit, idem etiam per tenacem lymphae natu-  
ram valet. Commodo itaque atque apposite celebr.  
PLENCK \*: " Hinc saepe cum pinguedine inunctus  
,, mercurius dum in corpus penetravit, iterum fese  
,, pinguedine exuit, et partim glandulas faicum petit,  
,, salivationem ciens, partim ad muciparos intestino-  
,, rum folliculos ruit, diarrhoeam prouocans, partim  
,, sinouiales glandulas intrat, articulorum impedimen-  
,, ta efficiens, praesertim vero genuum, ob maiorem  
,, hic loci glandularum mucosarum copiam. — Con-  
,, tra vero mercurius muco subactus omnibus corporis  
,, humani liquidis miscetur facile, (*id quod experimen-*  
,, *ta probant ante instituta*); cum omnibus ergo liqui-  
,, dis et per omnia fere vasa fluere inoffenso pede  
,, potest, et per vniuersam humorum massam distri-  
,, buitur aequabiliter. Nec est ratio, cur iam remo-  
,, ram pateretur in organis mucosis, dum sufficienti

O 2

muci

\* In libello: *Methodus facilis* cet. p. 65.



„muci copia iam saturatus est.“ Itaque quoniam in medicamento PLENCKII mercurius non per se agit, sed vi gummi, abs quo inuoluitur, haud confessim per intestina ruet, quod de vulgari mercurii vsu constat.

VII. ETSI mercurius potius in mucosis faucium, quam in saliuibus glandulis accumuletur, potest tamen posteriores has vel per consensum efficaciter irritare, ut augeatur saliuialis laticis secretio etiam magis, quam ipsius muci. Ergo saliuationis a mercurio inductae caussa ex adhaesione huius ad glandulas faucium mucosas, et inde orta per consensum saliualium glandularum irritatione repetenda videtur. Mercurius gummi Arabico subactus specificum suum stimulum in saliualia organa exercere nequit. Hoc docent omnes obseruationes practicae capite II. recensitae. Haec tenus celebr. PLENCKIVS \*. Attamen, quod ego Berolini expertus sum, me iam palam confiteri eximia maximi faciendi PLENCKII humanitas permittet. Vidi nimirum, in nonnullis συφιλητικοις ex medicamento PLENCKII πτυαλυσμοι vtique subsequutum esse, licet absque incommidis grauioribus. Neque ego perspicere quo, quid, quo minus idem eueniat, obstat, quum eadem saliuationis caussa in illo videlicet homine, in quo excreatio natura facilissima est, existat. Verum enim vero id maxime probabile esse censeo, in sexcentis vix decem fore, in quibus non nisi per saliuationem exeat mercurius.

VIII.

\* p. 62, 63.

VIII. SALIVAE vero praeter naturam fluxio, quae quidem ab vsu mercurii proficiscitur, ex natura glandularum maiorique partium ipsis proxime coniunctarum irritabilitate proficiuntur mihi quidem videtur. Forsan etiam diametrum globulorum mercurii ad diametrum oscularum in vasis glandulae omnino quadrat. Certe mercurius in maxime complicatis glandularum et vicinis vasibus, quae facile irritari patiuntur, multos anfractus habet, gradum tardiorum, commorationem diuturniorem, atque maiorem inde irritandi potentiam. Hinc adfluxus humorum largior, a reliquis accelerantibus mercurii moleculis subinde auctus. Finge adhaec, diametros etiam vasorum et mercurii viui globulorum maxime aequales existere; ab intime circulatim pressis vasorum fibris actio atque irritatio maior, fortior — hinc saliuatio.

### §. LXV.

VIII. ATQVE ex his quidem enodatius patere arbitror, vnde tanta argenti viui in corpore humano resoluendi, soluta propellendi, naturae vires evehendi et inuisa corpore deducendi vis atque efficientia sit summa Sunt, qui eadem illa ex adfinitate nescio qua, quae mercurio cum animantis muco intercedat, explicare, nodumque ex similitudine expedire periclitantur. Primum autem eiusmodi disputatio *occultas rerum qualitates* ponit. Sed Scholasticorum illud: "vigeraptus similium et fuga diffundit similium in toto mundo, „ iam dudum explosura merito est. Deinde vero, quid, quaeſo, est adfinitas, si illa ratio esse debeat *φαινομένων?* Omnis similitudo,

tudo, omnis adfinitas non nisi in cogitatis mentis consistunt, in rebus ipsis nulla est. At vero cogitata qui caussae esse possunt effectrices mercurii, quae non nisi a natura mercurii proficiunt possunt? Dum sensu percipimus *φαινόμενα*, ex minus appercepto obuiarum rerum distinctione oritur id, quod *identitatem* nominamus, ex idemtitate similitudo, adfinitas, aequalitas, cetera, quae singulae non nisi notiones sunt, emanant. In rebus ipsis sua cuique natura, vis atque efficacitas,

**X.** GERHARDVS GORIS \* iam pridem artem calluit, istud praeparandi argentum viuum, quod πτυσισμόν non prouocaret, verum transpiratione, vrina, sudore cetero materiam morbi expelleret. De arcana eadem arte, quae PARACELSO fuit, supra§. LVII. dictum est \*\*

**XI.** DE reliqua mercurii viui virtute medicata iam ab aliis satis dictum esse existimo.

### §. LXVI.

**XII.** NEQVE vero dubito, si a venerei morbi caussa discessero, grauissimas multas alias etiam obstructiones fore, quas eadem laudata celebrat. PLENCKII medicina, modo a sapienti medico atque intelligenti diligenter adhibeat, remouere et tuto valebit et quam praestantissime.

SCRIBENTI mihi haec, immo vero colophone operi iam addito ecce mihi Berolino quidam oc-

CUR-

\* Conf. *Mercurius triumphator*; Lugd. Bat. 1717. in 8t. Conf. Acta Erudit. Lips. anni 1710ccxviii. p. 254. 1q.

\*\*) Conf. insuper PARACELSI Chirurg. Part. IIII. L. VII. c. 2.

currit, qui de medicina, quam nobis celeberrimi  
PLENCKII liberalitas tradidit, vehementer sto-  
machatur. Vapulat PLENCKIUS noster, et mi-  
rum in modum male accipitur a Iudeorum πασοφο-  
ρῳ, haud ignobili illo D. LEONE ELIA HIR-  
SCHEL. \* Audiamus insignem illum celeberrimi  
PLENCKII aduersarium. "Ich muss von der Erfin-  
nung des Hrn. PLENCKS zum Voraus sagen, in-  
quit, dass sie *keinen Nutzen* habe, als dass sie  
vielleicht nur eine neue Art anzeigen, das lebendi-  
ge Quecksilber innerlich ohne Nutzen zu geben. \*\*  
— Die Versuche des Hr. PLENCKS sind grund-  
falsch. Ich habe aus Neubegierde gleich, nach-  
dem ich dieses Werk gelesen, in der Apotheke  
des geschickten Hr. Rose allhier, im Beyseyn ver-  
schiedener der Pharmacae Beflissenen, einen  
Versuch mit dem arabischen Gummi und Quek-  
silber gemacht. Ich habe über eine Stunde ge-  
rieben, ehe ich das Quecksilber habe subigiren  
koennen. „ (Eheu! doleo miserabilem viri la-  
borem,

\* ) D. LEON ELIAS HIRSCHELS Beyträge zu seinen Betrach-  
tungen über den innerlichen Gebrauch des *Mercurii sublima-  
ti corrosivi* und des Schierlings, worinnen die Einwürfe des  
Hrn. I. I. PLENCKS gegen dieselbe widerlegt werden:  
nebst einem Schreiben gegen dessen Traßtätschen, betitelt:  
*Methodus noua et facilis cet.*

\*\*) Seite 63.

borem, qui ne horae quidem spatio impetrare potuit, quod in medicamentorum tabernis Berolini atque Helmstadii alumnorum optimus quisque diuidio fere interuallo sine tanto labore conficit.)

„ Die Farbe des Schleims ist nicht grau geworden:  
 „ ich mischte 2. Vnzen Wasser hinzu, wodurch das  
 „ Queksilber also gleich zu Boden sank.,, (Haec  
 indicant, nondum subacta diligenter fuisse omnia;  
 nihil fecius se manibus pedibusque obnixe fecisse  
 ac triuisse per horam amplius omnia modo prae se  
 tulit insignis ille nugipolyloquides. Mirari non  
 satis HIRSCHELII cacoëthes scribendi queo, atque  
 etiam stomachari: adeat Berolini nosocomii regii  
 officinam, ubi hoc medicamentum sexcenties am-  
 plius paratur, atque vbi praeclera eius medendi  
 virtus iam satis superque cognita. Quoties ego  
 praeparationi interfui, toties, quae cel. PLENCKI-  
 VS refert, vidi " Auf dem Schaume schwammen  
 „ noch wegen dessen Zähigkeit einige Theilgen  
 „ Queksilber, und über das herabgefallene blosse  
 „ Queksilber setzte sich zwar ein graues Sediment,  
 „ welches aber weiter nichts, als die Vureinigkei-  
 „ ten des Queksilbers und Gummi waren, welche  
 „ noch etwas Queksilber bey sich hatten." Praecla-  
 „ re omnia, si non perperam et praeparata et obser-  
 „ uata singula essent.) " Nach der *Filtration* lie-  
 ften die wenigen Theilgen ebenfalls wiederum zu-  
 sam-

samen, da sie zuvor bey der Luft trocken geworden. \* (Quid quaeritis amplius? — Vere et apposite: quum charta bibula argento viuo transi-  
tum neget, medicina PLENCKII inanis est. Qua-  
si vero orificia vasorum corporis villoſa, et stria-  
rum linearum commissura, qaules in charta bibula  
sunt, obſepta eſſent. Sed ipſe praeter ea experi-  
mentum iſtitui, de quo ventosa ſcientiae vendita-  
tionē \*\* palam ratiocinari non erubescit D. HIR-  
SCHEL. In percolandis ego alia atque alia exper-  
tus: ſingula iam enarrare tum magnitudo volumi-  
nis prohibet, tum festinatio, vt ea rite peragantur,  
quorum gratia haec ſcripta ſunt. Neque ego cum  
clariffimis viris pugnandi ſtudio ductus laureolam  
in muſtaceo quaero. Tantum autem abeſt, vt ea,  
quaे ipſe vidi, ambiguam reddant medicinam  
PLENCKII, vt conſirment potius ea eius vim atque  
vtilitatem, quam regium Berolini nosocomium  
teſtatur, quam maxime.

\*) Seite 67, 68.

\*\*) Seite 71, 72.

## P



PRAE-


শৰ্মা শৰ্মা

PRAENOBILISSIMO CANDIDATO


CHARACTO AMICO CARISSIMO

BO. FRIDER. GOLDHAGEN, D.

CHARACTERIS.



E  
t laudare **T E** et gratulari **T I B I** cupio, non quia in me-  
rem venit, iuvenes, quibus academicci honores deferuntur, litte-  
ris commendatissimis ornare, sed quod mereris illud et hoc ego **T I B I** de-  
beo. Fui quotidianus virtutum **T V A R V M** et rectae honestaeque vi-  
tae testis, **T E** frequentissimum atque assiduum vidi in paelectio-  
nibus auditorem, animaduerti industriam atque soleritiam, qua ve-  
ritates medicas perspicere et pertentare studiisti, saepiusque cogno-  
ui iudicii **T V I** acumen, quo in veritate a dubia et fallaci doctrina  
discernenda usus es. Quibus egregiis virtutibus ornatus vitae aca-  
demicae rationes ita instituisti, vt solidis eruditiois fundamentis  
in Fridericana nostra positis cognitionem **T V A M** structurae corporis  
humani in florentissimo Theatro anatomico Berolinensi mirifice  
auxeris, et frequenti exercitatione in dirigendo partu **T I B I** compa-  
raueris peritiam. Quae eum in finem enarro, vt constet, quot  
quasi incitamentis ad **T E** amandum imitatus fuerim. Gratulor i-  
gitur **T I B I** ex animo de felicissimo studiorum **T V O R V M** succes-  
tu, gratulor **P A T R I T V O**, **V I R O** in arte mediea absolutissimo,  
de filio amore suo dignissimo; gratulor cibibus tuis de erudito  
et solerti medico. Mæte virtute **T V A**! Indulgeat Deus T. O. M.  
**T V I S** conatibus et quascunque res agas, prospere euenire iubeat  
in leuamen atque solatium misere aegrotantium, in **T V A M** volu-  
pitatem et amicorum gaudium. Me vero atque amicitiam nostram  
arctissimis vinculis constrictam **T I B I** ita commendo, vt maiori stu-  
dio commendare non possem. Vale. Dab. in Fridericana die x.  
Sept. ccccclxviii,





V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

10· L V D · D A V · H E R Z O G


P A T R V E L I C A R I S S I M O

A M I C O O P T I M O

S · D · P ·

10· F R I D E R · C A R O L V S I E T Z K E

M · C ·



**S**unt omnino, suauissime HERZOG, quae prohibent, quo minus laetiam, verbis **T I B I** declarare possim, qua affundor, quod in eo sis, vt, studiis **T V I S** academicis gloriosissime peractis, lauream petas medicam, tamquam praemium laborum **T V O R V M**. Literis itaque officio meo fungar, vt intelligas, quantum **o m n i a**, quae ad **T E**, quae ad gloriam **T V A M** spectant, ad me faciant. Non velim credas, quod hasce litteras, eam ob rem conscripsirim, vt eruditionem doctrinamque laudibus efferam; specimina laudum **T V A R V M** praecones sunt, quae edidisti, **T V A**. Verendum quoque est, ne dicant, qui bene sciunt, **T E C U M** familiarissime quod vixerim, me nimis cupide egisse: hinc potius laudibus **T V I S** aliquid detraxisse, quam addidisse viderer. Animi vero dexteri

teritatem ac integratatem non possum; non laudibus efferre, qui  
TE totum explorau. Longissimo abhinc tempore iucundissima  
inter nos intercessit amicitia, quam ipsa natura et animorum con-  
sensus arctiorem reddiderunt. Eam ob caussam nullus dubito,  
qui istud amicitiae vinculum, quo iam archissime coniuncti vi-  
uimus, nec locus nec tempus solutura sint; quod quidem ab a-  
more, quo mutuo nos amplectimur, exspectandum est. Ad hoc  
accedit, quod amicitia nostra non vulgaribus aut iniquis, sed acquis-  
simis sanctissimisque fundata sit legibus. Haec sunt, DULCISSIME  
RERVM, quae sentio, meumque duxi, ut TIBI die hocce festiuo  
denuo aperiam, quo die studiorum TVORVM praemia capturus  
es. Gatulor Parentibus TVIS, quos summa obseruantia veneror,  
de TE doctissimo; familiae splendidissimae de cognato exoptatis-  
simo; et aegrotis, auxilium TVVM flagitantibus, de Medico dex-  
terrissimo. Ego vero operam dabo, vt cognoscas, me neque obsti-  
tiorem neque magis deditum habere quemquam. Dabam Hala-  
d. 10. Sept. 1768.


---

ERRATA QVAEDAM.

PAG. 21. Lin. 5. quae non sunt συνεργεια musculi —  
legat. quae non sunt musculi, si a συνεργεια musculis discessero, §.  
XI. PAG. 40. Lin. 4. pro, §. XXXXIII. — §. XXXIII. PAG.  
52. Lin. 14. extraordinarius. — vel extraordinarius. PAG. 58.  
Lin. 15. conuentia — conuenientia. PAG. 65. Lin. 15. etiam-  
num. PAG. 66. Lin. 20. Baretii data. — Baretii foras data.  
Lin. 27. in Fol. — in Fol. edita. PAG. 86. Lin. 3. peragantur  
— peragerentur. Lin. 20. dimiam — dimidiām. Lin. 25. sub-  
fudit — subsedit.







WDR

PICA





huic Musarum sedi docendo praesunt,  
In Physicis enim ibi Illustrēm Dn.  
diui : in Medicis vero Illustrēm Dn.  
ndidae institutioni plurima me accepta  
BOEHMERI P. P. O. Acroasibus Ana-  
uens interfui. Excellentiss. atque Do-  
in Mathesi pura & Physica Experimen-  
torem habui Excellentiss. ac Doctiss. Do-



DISSE R TAT I O S O L L E M N I S M E D I C A  
DE  
**MORBO ARTICVLARI**  
S P E C I A T I M  
**V E N E R E O**  
P R A E S E R T I M D E A R T H R I T I C A Q V A D A M  
F E L I C I T E R S A N A T A  
\*\*\*\*\*  
Q V A M  
G R A T I O S I M E D I C O R V M O R D I N I S  
I N A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A  
A V C T O R I T A T E  
P R O R I T E C O N S E Q V E N D A  
**D O C T O R I S M E D I C I N A E D I G N I T A T E**  
P V B L I C A E D I S Q V I S I T I O N I  
S V B M I T T I T  
A V C T O R  
I O A N N E S L V D O V I C V S D A V I D E S  
H E R Z O G  
G O S L A R I E N S I S.

A. R. S. CICCIOLI. IIII. XX. SEPTEMBERIS.

HELMSTADII  
EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO VIDVÆ  
SCHNORRIÆ

H. Prof. Keme